Laudatur hoc opusculum in Actis Eruditor. ad an. 1708 Vol. xxxii pag. 257.

Havniæ
— 88 Paulsen.

Ab amico suo Paulsonio emsit

Gründelaß

Haumiae
1759

(8)

948
Por

THORMODI TORFÆI

S. R. M. DAN. ET NORVEG. Rerum Norvegicarum Hiſtoriographi

TRIFOLIUM HISTORICUM

Seu

Diſſertatio Hiſtorico-Chronologico-Critica,

De tribus potentisſimis Daniæ Regibus
GORMO GRANDÆVO, HARALDO CÆRULIDENTE, & SVENO FURCATÆ (ſeu Admorſæ) BARBÆ
Ubi ſingulorum natales, imperii exordia, & geſta qvædam inſigniora exponuntur, certisq; annis applicantur, Præterea verum tempus propagatæ in Dania Chriſtianæ Religionis demonſtratur, & varia his temporibus florentium heroum geſta, imprimis vero origo atqve deſcriptio Urbis JULINI (WINETHÆ) Lectori ſiſtuntur.
In ſupplementum SERIEI REGUM DANIÆ
Singula ex diverſis Scriptorum traditionibus, inter ſe collatis, diligenterqve examinatis, collecta, & nunc primum in lucem edita.

Theodor Johansen

Sius me annumerat P. Brenkius

HAFNIÆ, ANNO MDCCVII.
Impenſis JOHAN: MELCHIORIS Lieben / Reg: Academiæ Bibliopolæ,
Literis JOHANNIS JACOBI BORNHEINRICHII.

APPROBATIO.

In Trifolio hoc Hiſtorico fama Trium Potentiſſimorum Daniæ Regum in ſeræ poſteritatis memoriam viget viretq; ; indefeſſâ curâ & induſtriâ Celeberrimi Hiſtoriographi, Dn. THORMODI TORFÆI, tergeminis honoribus digni.

P. VINDINGIUS.

HAFNIÆ, Cal. Januar. An. MDCCVI.

ILLUSTRISSIMIS ac GENEROSISSIMIS
Heroibus ac Dominis

Dn. MATTHIÆ MOTH,
Ordinis Danebrogici Eqviti Aurato,
S. R. M. Conſiliario Intimo, Statûs, Juſtitiæ & Cancellariæ,
ut & Aſſeſſori in Cancellariâ Danicâ.

Dn. CHRISTOPHORO GEN-
SCHIO von BREITENAW,
Domino de Grönhof, Ordinis Danebrogici
Eqviti Aurato. S. R. M. Conſiliario intimo &
Conferentiæ.

Dn. NICOLAO BENTZO-
NIO,
Domino de Vaar- & Mörke-Gaard, Ordinis
Danebrogici Eqviti Aurato, S. R. M. Conſiliario intimo,
Statûs, Juſtitiæ, Cancellariæ, Ærarii & Admiralitatis:
Procuratori Generali, Aſſeſſori in Collegio Camerræ, & Vice-Præſidi in Collegio Commerciali,

Dominis, Mecænatibus & Evergetis
ſuis maximis,
FELICITATEM!

ILLUSTRISSIMI HEROËS
Mæcenates Summi.

Gratiæ, pro immortalibus Veſtris in me meritis, qvibus jam diu prægnavit animus, tandem, moræ impatientes, in apertum erumpunt: etenim cum eas in publico teſtandi occaſio vix ac nec vix qvidem hactenus ſe obtulerit, malo jam ſerò qvam nunqvam, exiguo qvam nullô grati animi indicio, Illuſtriſſimas V. V. V. Generoſitates adire. Offero igitur Generoſit. V. V. V. eâ qvâ

par

par eſt mentis ſubmiſſione, Trifolium hoc Hiſtoriæ patriæ, Illuſtriſs: Veſtris nominibus, ex qvo primum illud meditatus ſum, apud me conſecratum, ſed jam primum, obſtetricante meliore Lucinâ, publico editum. Exiguum qvidem, ſi molem ſpectetis, munus; Sed qvod offerentis animô, aut certè eâ, de qva agit, materiâ, Potentisſimorum nempe Regum geſtis, ac Chriſtianæ Religionis in patriâ propagatione, ſe commendare poſſit. Sed nec aliô magis qvàm hoc nomine Tantis Heroibus placere cupit hoc Trifolium, qvod pars ſit & ſupplementum qvaſi Seriei Regum Daniæ, qvam ſuis auſpiciis, ſuô juſſu, natam, Clementiſſimâ manu excipere dignatus eſt ipſe Auguſtus noſter; cujus Vos, Heroës Illuſtriſſimi, exemplum, ut in aliis, ita & in fovendis literatis laboribus, eô magis ſeqvi ſcio, qvô Vos ſuæ Majeſtati propiores eſſe voluit. Accipite itaqve, Mecænates Summi, cartaceum hoc mu-

nus, decrepitæ ſenectutis ultimam qvaſi voluntatem; atqve unâ cum Authore patrocinio ac tutelæ Veſtræ commiſſum eſſe ſinite. Qvod ſupereſt, in votô finiam: Velit ſupremum Numen Excellent: V. V: V. Sibi, Regi, & Patriæ, Publicoqve adeò bono, qvam diutisſimè florentes ac ſuperſtites conſervare.

Illuſtrisſimorum Veſtri Nominum

Devotisſimus Cultor

Haſniæ, d. 17. Martij Anno MDCCVII.

TH: TORFÆUS.

Lecto-

Lectori Benevolo.

S. D. AUTHOR.

Conſtitueram aliqvando, dum ſcil. in Serie Regum Daniæ concinnandâ verſarer, eandem uſqve ad Knuti Potentis Imperium, non interruptô Regum, ſibi invicem ſuccedentium, ordine, continuare. Poſtqvam autem hoc ipſum diligentiùs mecum penſitavi, viſum eſt mutare conſilium: cujus facti rationem paucis hic accipiat candidus Lector. Accipiet autem tum demum, ubi meminerit, in conſcribendâ juſſu Regio dictâ Serie, id unum mihi ex officio incubuiſſe negotii, ut diſſentientes ab Islandicis monumentis, qvoad ſucceſſionis Dynaſtarum ac Regum Daniæ ordinem, Saxonis relationes, qvantum poſſem, conciliarem, aut ſicubi conciliationi nullus relinqveretur locus, veriora, pro meo modulò, monſtrarem. Iſtô verò labore, ubi ad Gormum Grandævum perventum eſſet, defunctum me exiſtimavi; qvippe a cujus imperii exordio, qvoad ſeriem ſubſeqventium Regum, amicè cum noſtris conſpirat Saxo. Itaqve ne extra oleas, qvod dicitur, vagarer, ibi ſubſiſtendum duxi, promiſſo ſaltim peculiari (prout materia diſpar ac heterogenea poſtulabat) de tribus proximè ſeqventibus Regibus opuſculo. Hinc nata, qvam cernis, L. B. Diſſertatio, mole qvidem exigua; ſed qvæ mi-

hi

hi non minore qvam ipſa Regum Daniæ Series, ſervatô proportionis ordine ac reſpectu, labore conſtitit. Latuit illa jam diu publicum exſpectans prelum; & jam tandem, ob materiæ qvandam cognationem, exeundi nacta eſt veniam. Qvamvis enim in Hiſtoriâ Norvegicâ (qvæ jam in partu eſt) de verô propagati in his regionibus Chriſtianiſmi tempore nonnulla adnotârim, prolixior tamen atqve intricatior ea eſt materia, qvam ut tanto operi ſine nimiâ digresſione inſeri poſſit. Qvid, qvod reliqva qvæ hic diductius pertractantur, v. gr. de cauſis & ſtructurâ Danawirkii, Scriptoribus Celebratisſimi; de origine & fundatione Urbis Julini (ſeu Winethæ) aliisqve ut non ſcitu injucundis, ita nec lectu indignis, juſto majorem locum ibidem occupâſſent, confuſionemqve qvam jucunditatem peperiſſent. Ipſe qvidem per ſe ex inſpectione diſſertationis hujus videt L. B. multa hic Saxoni diſſona, multa conſona occurrere, unde hic ut in cæteris, qvod ſpero, diſpaleſcet, me nullâ litigandi cupiditate, ſed veritatis unicè indagandæ ſtudio, Saxoni in qvibusdam adverſari. Sed & nonnulla ſtudiô me omiſisſe ſciat; ea nimirum, qvæ aut in fide dignis monumentis omninò non occurrunt, aut, ſicubi occurrunt, ambigua aut dubia videntur. Exempla ex multis pauca ſubjiciam:

Gormum Grandævum Venerandus Trogillus Arnkeli, Paſtor & Præpoſitus Eccleſiarum Apenröenſium dignisſimus, Opere de Cimbrorum religione in Ethniciſmo p. m. 324. annos 80. idqve authoritate Snorrii Sturlæi, regnâſſe, tradit. Chronicon tamen ejus editum a Celeberr: Wormio p. 120. decem annos adjicit, qvos librarii incuriâ omiſſos exiſtimo. Nos ex conſeqventiis adhuc qvinqve adjicimus.

Ad

Ad *Haraldi Cærulidentis* imperium ſeqventia referri merentur dubia:

I. Thyram marito vivo exceſſiſſe, monumentum Jellingenſe fortè alicui perſvaſerit, cum id ipſi a marito excitatum inſcriptio runica teſtetur. Qvanti verò illa ſit momenti ut facilius dijudicare qveat cordatus Lector, heîc ſubjicimus.

Hereltr Kunugr keurve (geurve)
Kubl Denſi eſt Gurm fadur ſin
Aug eſt Diurvi Mudur ſin Eſi
Hereltr Keſſor ven Tenmeurk
Ale eug Nurvieg eug tinige Tolk, Chriſtno.

Qvam abludat hæc inſcriptio a veteribus, genioqve lingvæ antiqvioris, qvæ iis temporibus in uſu erat, & rythmis eô ævo runicis literis exaratis; qvos genuinos abundè novimus, cuivis conferenti facile patebit. Nos ita concludimus: Inſcriptionem hanc longo poſt fata Gormii tempore compoſitam eſſe, qvicqvid ſit de ipſo monumento erecto. Nodum hunc Celeberr: Trogillus Arnkeli Op. Cit. Lib. 4. cap. 2. parag. 5. p. m. 327. ita decidit magis qvam ſolvit, ut excitatum uxori adhuc vivæ a marito ſaxum, a filio vero Haraldo Cærulidente poſt mortem matris reparatum arbitretur. Sed res eodem fermè recidit; neqve enim Gormi, ſed nec Haraldi tempora genius ille ſive idioma inſcriptionis attingere poteſt, utpote longè recentior, ut ſupra dictum.

II. Senſum inſcriptionis qvod attinet, ita eam vertit laudatus vir: Haraldus Cæſar convertit Daniam & totam

 Norve-

Norvegiam, & illum populum Chriſtianum fecit. Qvod improbandum non cenſeo, licet hyperbolen redoleat; Daniam certè totam Chriſti diſciplinæ ſubjecit; Norvegiæ tantum partem a Goth-Elbâ Lindiſneſiam uſqve; totam certè deſtinavit; totam enim (ſecus ac Cl. Arnk. p. 352. obſervavit) ſibi ſubjecerat, poſt Haraldi Grafeldi cædem; primò auſtralem, ſuis auſpiciis, ſed ductu & operâ Comitis Haconis: verum ob ſubitaneam ejus defectionem pium Regis propoſitum non ultrà proceſſit; qvantum verò profecerat, irritum rurſus factum eſt. Qvod autem Cæſarem ſe, æmulatione qvadam Imperatoris Ottonis vocârit, nihil habet abſurdi: Dania enim ex multis Regnis, more ſeculi, conſtabat; teſte Knytlinga-Saga, cap. 32. nec forte Norvegia paucioribus, ut ex Hiſt: Haraldi Pulchricomi planum eſt. Horum igitur cenſu ſi ſe Cæſarem appellaverit, neqve exemplis (de qvibus vid. Herm. Conring: de Finibus Imperii Germ: Lib. 2. cap. 21. p. 448.) nec probabilitate deſtituitur. Veteres enim duodecim præfecturas Comitatu, totidem Comitatus regno, totidemqve regna imperio comprehendi ſtatuebant. Tenuit autem Haraldus inſuper amplas ditiones: Holſatiam nempe, & in Vindlandiâ ſeu Pomeraniâ magnum Comitatum, qvem jugi bello ſingulis annis amplificavit, qvæ fortè perſvaſerint, tam magnificum titulum ab eo aſſumtum eſſe; Contra qvam ſentit Reenhielm not: ad Thorſt: & Viking: Hiſt: cap. 16. ubi negat moris fuiſſe veteribus Septentrionalibus, regibus ſuis tam ſuperba & peregrina nomina tribuere, cum econtrà Cæſares ipſos Reges appellârint, exemplo Poëtæ Sighvati, qvi Carolum Magnum regem nuncupaverit. Verum id mediæ ætatis Scriptoribus,

ut Cæſares reges appellarent. Itaqve more ſeculi ſui Sighvatus locutus eſt, reges enim appellavit a poteſtate in ſubditos, ipſis cum Regibus communi. Alia autem ratio, pro diverſi ævi reſpectu, hic obtinet. Qvod ſi enim Haraldus Cæſar vocari haberiqve meruit, ecqvis ei ſubditorum iſtum honorem denegâſſet? ecqvis demandatam inſcriptionem obtrectâſſet? ut taceam alia laudati viri παροράματα, ibidem obvia, qvæ cum Celeberr: Thomas Bartholinus Antiqq. Danic. Lib. 2. cap. 8. diligentisſimè excuſſerit, non eſt qvod iis diutius immoremur.

III. Qvod agnomen Thyræ Thenmerkarbot p. 326. Germanico idiomate explicat, approbare neqveo. **Bot** enim idiomate veteri ſeptentrionis à verbo **Bæte** (id eſt, reficere, reparare) deſcendit: hinc **Bati** (lucrum,) & **Bot** (refectio, medicina) &c. Atqve hoc cenſu Thyræ applicatur, qvod ægrotanti, aut certè ægrotaturæ, Daniæ medicas manus adhibuerit. Danis etiamnum **Bod** / perinde ut antiqvis **Bot** / in uſu eſſe videmus. Non igitur a **Bar / oder Erbarung** vox illa deſcendit.

IV Qvamvis a veri ſpecie non prorſus abhorret narratio Adami Bremenſis, de Erici Sveciæ Regis victoriâ adverſus Danos; minimè tamen largior totam eum Daniam ſibi ſubjeciſſe. Ultricibus enim armis Danos lacesſiviſſe videtur, qvod ſe Styrbiörni rebus immiſcuiſſent. Meurſius

 duas

duas Scaniæ provincias, Blekingiam & Hallandiam ab eô captas, præſidiisqve munitas tradit; unde Saxonis locus illuſtratur, qvi Thyram Haraldi matrem Scaniam Sveticâ dominatione oppreſſam præſtandi tributi onere ſolviſſe perhibet; qvod qvamvis extremis Haraldi annis Thyræ minimè competat, facile tamen colligitur Eirico Victorioſo, Sveciæ Regi, qvi his temporibus vixit, provincias has tributarias fuiſſe.

De *Sveno* minora occurrunt dubia, præterqvam qvæ in ipſâ Diſſertatione diluimus; ubi qvæ de eô fabuloſa narrantur, conſiſtere non poſſe ad oculum demonſtravimus. Atqve hæc erant, qvibus Te, Candide Lector, in anteceſſum alloqvi placuit. Interim Vale, & laboribus noſtris fruere.

Bre-

Breviarium Capitum
Præſentis Trifolii.

Proloqvium. - - p. 1

CAP. I.

Gormus, Holſatiæ Comitis Haraldi Klakii *filiæ nuptias* petit, eiqve futuræ ſortis præſagia, ex oblatis per qvietem imaginibus, examinanda proponit. Ejus in his conjectandis ſagacitas: infrugiferos annos prævidet, & annonæ ſævitiam avertit: inde ei cognomen honorificum: ejus encomium; liberi. p. 2

CAP. II.

Prodigia qvædam exponuntur; Comitis in iis explicandis ſolertia; ejus in nepotem Knutum ſtudium, teſtamentum, imperii abdicatio, tranſitus ad Chriſtiana ſacra. p. 6

CAP. III.

De geſtis Gormi in Daniâ cum Imperatore Henrico Aucupe. Frodium Jutiæ Regem Gormo fuiſſe ſubjectum. Variorum Scriptorum teſtimonia de iis qvæ ſub ipſo acciderunt. Adami Bremenſis cum Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium qvaliscunqve conciliatio. De baptiſmo Haraldi Cærulidentis. p. 8

CAP. IV.

De Gormi Knutiqve extremis, diverſæ traditiones. p. 12

CAP. V.

De Thyrâ Danmarkebot Svenonis Aggonis fabuloſa relatio exponitur & refellitur. p. 15

CAP. VI.

Continens brevem Chronologiæ conſpectum, non ut ſingulorum anni vindicentur, ſed ut oſtendatur qvæ hactenus tradita ſunt citra magnam abſurditatem conſiſtere poſſe. p. 20

CAP. VII.

Succincta diſqviſitio de jure Haraldi in Angliam, ex teſtamento Edvardi Regis qvæſito; Ejus contextus refellitur. Exordium Regni, geſtaqve ei connexa; excurſum in Normanniam falſò ad tempora, cum a filio in exilium actus erat, referri. Geſtorum in Galliâ brevis expoſitio. Saxo notatur. p. 22

CAP. VIII.

Antiqvitatum Islandicarum, externorumqve Scriptorum traditiones, de fidei Chriſtianæ negotio, in Dania per Imperatorem Otthonem Primum ſub Haraldô Cærulidente promoto. p. 27

CAP. IX.

Qvô Islandorum traditiones de Haraldo Cærulidente, deqve inſtitutione Chriſtianæ religionis ſub Imperatore Otthone Secundo, expenduntur. p. 34

CAP. X.

Qvo Islandorum Antiqvitates de Haraldo Cærulidente, deqve inſti-

inſtitutione Chriſtianæ religionis ſub Imperatore Otthone Tertiô, exponuntur. p.37

CAP. XI.

Ubi expoſitarum relationum varietas expenditur, oſtenditurqve, Saxoni nihil de religionis negotio in Daniâ per Otthonem Primum promoto, conſtitiſſe, ſed confuſas Islandorum traditiones ſecutum, res ſub Otthone Secundo geſtas deſcripſiſſe. Singulorum errores explanantur, & qvid veritati congruum videatur, arguti Lectoris judicio ſubjicitur. p. 47

CAP. XII.

Antiqvitatum Islandicarum relationes de Celeberrimo Wandaliæ oppido, ipſis Jomsburg appellato, aliis Julino. Nominis origo expenditur, & an idem ſit cum Jumneta vel Winethâ: cujus auſpiciis ædificatum fuerit, diſqviritur, & qvo tempore: portûs deſcriptio; variæ viciſſitudines; excidium. p. 58

CAP. XIII.

De Gull-Haraldo, ſeu Haraldo aureo, Knuti Dana-Aſt, Haraldi Cærulidentis fratris, filio, ab Hacone Hladarum Comite aſtu circumvento, & permiſſu Regis patrui oppreſſo, deqve Norvegia in poteſtatem redactâ. p. 66

CAP. XIV.

De Styrbiörno Sveciæ Principe, aliis Sveciæ Athleta dicto: ejus geſta ex S. Olafi Hiſtoriâ, qvæ Codice Flateyenſi continetur, deſcribuntur. Knytlingorum Hiſtoriæ narratio, & Saxonis ab utrâqve diſſenſus eruitur: oſtenditur Styrbiörnum poſt annum CMLXXXIV cæſum non fuiſſe, nec

ante annum CMLXXX cædi potuiſſe. Locus Hiſtoriæ Olafi Tryggvini de Audure Comitis Haconis Hladenſis filia, Eirico Victorioſo collocatâ, illuſtratur. p. 71

CAP. XV.

Qvo concepti a Palnatokio in Regem Haraldum odii cauſa oſtenditur; Cædes nempe patrui ejus Akii; Palneris nuptiæ: Palnatokii educatio & conjugium. p. 85

CAP. XVI.

Haraldus Rex ex inopi fœminâ Svenum progenerat, filiumqve agnoſcere detrectat; inde Palnatokius occaſionem arripit, ad ſtruendam viam ultioni, qvam ob patrui cædem diu meditatus videtur. p. 93

CAP. XVII.

Mira Sveni ferocia, a Palnatokio inſtincti, deſcribitur. p. 94

CAP. XVIII.

De bello Haraldi cum Sveno, cædeqve Regis, Hiſtoriæ Olafi Tryggvini relatio, Scriptorumqve aliorum teſtimonia. p. 99

CAP. XIX.

De diſſidentium relationum qvalicunq; conciliatione. p. 106

CAP. XX.

De anno qvô Haraldus Cærulidens in fata conceſſit. p. 114

CAP. XXI.

De Sveno Haraldi filio, ab Admorſâ vel Furcata barbâ cognomen conſecuto. p. 123

VIRO

VIRO

Nobiliſſimo, Ampliſſimo & Excellenti

Dno. THORMODO TORFÆO,

Auguſtiſſimæ Regiæ Majeſtat. Dan. & Nor. &c. Aſſeſſori in Conſiſtoriali Collegio, necnon Hiſtoriographo celeberrimo, Mæcenati & Fautori ſuo plurimum obſervando, Trifolium Hiſtoriæ Danicæ in lucem publicam edenti

Ita devotè gratulatur

OTTHO SIGVARDIUS.

Herodotus magnis jactatur Græciæ in oris,
Et Criſpum tollit Roma ſerena ſuum;
Gaudet Celta qvidem, celebratus ab ore Tuani,
Cujus in æternum plurima facta vigent;
Facta manent certè; famam ſed prænderat alter,
Qvæ nunc ſub gelido conſtitit alta polo.

Miror, Hyperboreo ſpectantur in axe Camænæ;
Et Cidni vacuam deſeruere domum:
Numina, qvæ terris, habitare Lycaone nata,
Eligit una ſuis, Cyrrha relicta dolet.
Ac ſtupet extremis Danorum vivere in arvis,
Tot Muſis æqvos, tantaqve poſſe, Viros.
Qvos inter claro florens TORFÆUS honore,
Antiqvum tractat, jam monumenta ducum.
Hic eſt qvi chartas atra rubigine tectas,
Eruit, ac juſtam monſtrat ubiqve viam;
Et facit ornato, tandem ſplendeſcere vultu;
Qvondam qvæ letho tradit adeſa dies.
Impiger Arctoos ducens ad culmina veri,
Certus ut in portum, navita flectit iter.
Utqve Promethides, mulcens Epimethida verbis,
Cum vacuo manſit Pyrrha relicta ſolo:
Sic aperis, THORMODE, tuis lectoribus, unam
Qvæqve prius latuit, diſſimulanda viam;
Et tenebris obſtructa diu, nunc lucida reddis,
Unde tuum lato nomen in orbe ſonat.
Dania te laudat, laudes Norvegia pandit,
Auguſtos Scriptis, dum in celebrando viges.
Gallia te novit, novit Cepheius, & Iſter,
Et qvi trans Gangen incola forte ſapit,
Fælix qvæ tantum, genuiſti patria natum,
Cujus ab eximio Lumine tota nites.
Plaude tuo civi, plauſus ſuper æthera tendat,
Et geminet voto, terra remota ſuo:
Vive decus noſtri, Pyliis ac utere filis,
Fataqve poſt Clario nomine major eris.

Nobiliſſimo & Ampliſſimo

Trifolii hujus Hiſtorici Authori,

DN. THORMODO TORFÆO,

Mecænati ſuo æternúm colendo

in debitum obſervantiæ ſignúm hæc
qvaliacunqve adponit
Nob. Ipſius cultor humillimus

THORLEFUS HALTORIUS, Isl.

Minax vetuſtas, deſine fortibus
Geſtis reniti; qvid fremis inſolens?
Qvid tela vibras? nunc fúrores
Nunc cohibe, Libitina, tandem.
Qvid dente ſævo ſaxea robora
Rodis? qvid alti nomina ſeculi
Evellis? inciſas columnas
Ejicis, & titulos ſuperbos?
Ludis coacto pulvere, dum tui
Regni pererras invida limites
Obliviofi, ſurripisqve
Qvos Pario celebrare ſaxo

Dignum; Colosſis qvos & aheneâ
Æqvâſſe cælo mole: latet ſui
Cum Cæſaris Marcellus umbris
Conditus, & ſub edace Druſus
Nullus ſepulchro: ſed neqve Carium
Mármor ſtupendis oſſa beat ſuis,
Nec providæ ſervare Letho
Pyramides, Phariis verendæ.
Ruit movendi qvicqvid habet vices
Moræqve cedit: ſed manet altius
Diis & ſacratâ mente natum
Conſilium, Stygiis ab umbris
Servare claros. Hiſtoriam legis
Labantis orbis: ſiſtitur ilicò
Annoſa qvicqvid vel ſenectus
Vel triplici tulit orbe tempus.
Nunc ter beato pax moderamine
Ditat colonos; nunc qvatit enſibus
Gradivus orbem, nunc remotis
Principibus viduata regna,

Geſtit-

Geſtitqve victor. Nunc procul entheô
Gentilis error pellitur agmine,
Orcusqve cælô, dum fatigant
Cælitus indita fata mundum.
Hæc ſiſtis aptè Pierio choro
THORFÆE, Muſis grate; Sed hinc tua
Lætans pererrat fama mundum
Ingenii melioris aurâ.
Te culta laudat Dania, Te ſuum
Jactans alumnum ſpondet adoream
Arctoa Clio. Te loqvetur
Poſteritate vigens ſenectus.
At tu trionum ſegrege margine
Repoſta Thule, qvam Boreæ gelu
Premens (iniqvum!) devoransqve
Vix ſinit in Boreâ locari,
Tu cive tantô læta diu vige,
Plauſusqve miſce, forſan & illius
Scriptis celebrata inter omnes
Preſſa prius capite aſtra lambes.

VIRO

Nobiliſſimo Ampliſſimo & Celeberrimo

Dno. THORMODO TORFÆO,

S. R. M. Daniæ & Norvegiæ, &c.
Hiſtoriographo Doctiſſimo, nec non in Collegio Conſiſtoriali Aſſeſſori.
Mæcenati ac Fautori ſuo omni obſervantia colendo,

Trifolium hiſtoricum de tribus potentiſſimis
Daniæ Regibus in lucem edenti

ita devote gratulatur

MAGNUS ARETHA THORILLIUS, Isl.

Hactenus Arctoûm ſeries ac ſtemmata regum
    Inqve vicem ſcribis tempora juncta ſibi;
Et qvibus auſpiciis primum, qveis Dania cunis
    Creverit, & ſedes fixerit illa, refers.
Nunc TORFÆE tui calami ſolertia porrò
    Pergit, & inceptum gnaviter urget opus:
Exſtructas urbes, ſummorum geſta virorum
    Pandis, & Arctoi fata ſtupenda ſoli.
Qvinetiam ritus conceſſaqve dogmata cæli
    Vindice te recolit Danica terra ſibi;
Nil habet antiqvi tenebris tua Dania clauſum,
    Qvod tua non reduci luminê cura beet:
Hæc tibi (qvis credat) genuit provectior ætas;
    Et pietas ſenium conſovet ipſa tuum.
Dii te porrecto dum plura recluſeris ævô
    Et Salvîs jubeant viribûs uſqve frui.

Eidem

Eidem,

Nobiliſſimo & longe Celebratiſſimo

Dn. THORMODO TORFÆO,

Patriæ ſuæ & hiſtoriarum Septentrionalium
Decori eximio,
Pauca hæc ſubjungit Nobilitatis Ipſius
Civis & Cultor devotiſſimus
GISLAUS BERNHARDINUS, Isl.

Solus ego taceam, noſtris plaudentibus ultrò
Civibus! hoc abſit: qvis enim, niſi deſide Venâ
In laudes, TORFÆE, tuas non impiger ibit?
Grande decus patriæ, decùs immortale tuorum,
Vindice qvo priſcum revireſcunt geſta virorum.
Qvas tibi pro meritis valeat perſolvere grateis
Nominis Arctoi tantum non perdita fama?
Qvam tu felici revocas, vir maxime, niſu
Non aliter qvam ſi qvondam Cyllenius Orco
Eductas animas in corpora nota reverti
Juſſerit incolumes, ſuperaqve fruiſcier aurâ
Sic tu qvas tenebræ, qvas longa oblivio Secli
Hiſtorias dudum cæca caligine merſit,
In lucem prodire jubes, iterumqve videri,
Hinc tibi Pierides optant, hinc doctior orbis
Neſtoreos degas ter feliciſſimus annos.

Erra-

Errata.

Pag. 1. linea 20. leg. qvæ. Pag. 3. lin. 3. leg. dimittendum. Pag. 7. lin. antepenult. leg. ſocerum. Pag. 23. lin. penult. e vocibus: totâ Europâ, del. nota ablativi. Pag. 38. lin. 21. leg. maritimis. Pag. 39. lin. 27. pro: qvi, leg. qvæ. Pag. 46. lin. penult. leg. promontorium. pag. 50. lin. 6. leg. filio. pag. 55. l. 1. leg. annus. lin. 3. leg. convinceretur. lin. 17. leg. freti pag. 68. lin. 27. leg. nullâ. Pag. 82. lin. 17. lege patriâ. pâg. 87. lin. 2. poſt: conſuluit; ponatur punctum. lin. 6. leg. ſollicito. pag. 103. lin. 10. leg. Palnatokius. pag. 107. lin. 25. leg. principis. pag. 116. lin 24. pro CMXCVIII. leg. CMLXXXVIII.

Hæc, & ſi qvæ fortè ſunt præterea, errata typographica, ut pro candore ſuo æqvi conſulat B. L. etiam atq; etiam amicè rogatur.

PROLOQVIUM.

IN fine Seriei Sereniſſimorum Daniæ Regum, teſtati ſumus, nos peculiare opus de tribus Regibus, qvi Horda Knuto ſucceſſerunt. Gormo nempe Grandævo, Haraldo Cærulidente, & Sveno Admorſæ barbæ ſcripſiſſe, brevi, ut tum ſperavimus, in publicum proditurum: Id verò extrema pars dicti libri fuit, qvem, licet in ſucceſſione Regum nihil â Danicis Scriptoribus diverſum afferret, ad Knuti tamen Potentis ætatem continuare decrevimus, maximè ob crebras controverſias, qvæ de ſtatu religionis in Dania, geſtisqve Regis Haraldi Cærulidentis, ejusqve vitæ exitu, & ætatis termino; ut & Sveni Regis exiliis, & Chriſtianæ fidei perſecutione, noſtris cum iis intercedunt; qvæ ſine magno tædio Hiſtoriæ Norvegicæ inſeri neqveunt. Cum autem inopina ſimul & prægnans qvædam cauſa, illam partem, ut ſeorſim ederemus, nos coëgerit, ea, qve de Gormo Grandævo Islandorum memoriæ nobis reſervarunt, integra exhibemus, de Haraldo autem Cærulidente, eâ, qvæ vel ad Chriſtianæ religionis plantationem in Dania illo regnante pertinent,

ſed â rebus Norvegicis illuſtrantur, vel â tempore, dum in Norvegia regnavit, ad finem uſqve vitæ ejus texuntur. Demum de Sveno, qvæ ante annum Chriſti milleſimum, qvo trientem Norvegiæ acqviſivit, memorantur.

CAP. I.

Gormus, Holſatiæ Comitis Haraldi Klakii filiæ nuptias petit, eiqve futuræ ſortis præſagia, ex oblatis per qvietem imaginibus, examinanda proponit. Ejus in iis conjectandis ſagacitas, infrugiferos annos prævidet, & annonæ ſævitiam avertit, inde ei cognomen honorificum; ejus encomium, liberi.

Gormus Horda-Knuti filius, cum ad maturam ætatem perveniſſet, omnium formoſiſſimus habitus eſt, eorum, qvi illo ſeculo viſi ſunt, corporis inſuper ſtatura grandis, robore inſignis, cætera abſolutus fuit, niſi qvod ſapientia cum majoribus ſuis comparari non poſſet: uxorem accepit Thyram, Haraldi Klakii Holſatiæ Comitis (exemplaria membranacea duo regem appellant, fortè ex more iſtius ſeculi.) Filiam (malim neptim) cui tanta erat prudentia, ut adminiſtrationem imperii pater ex conſiliis ejus feliciter geſſerit, præterea morum formæqve mira elegantia. Hanc igitur Gormus uxorem ambiturus, haut per legatos rem gerendam ducebat, verum, cum haut modica manu, qvæ juſti etiam exercitus ſpeciem præberet, eò profectus, repulſam, ſi forte pateretur, armis vindicaturus, virginemqve in poteſtatem redacturus. Comes, cognito Regis propoſito, ad convivium eum per legatos magnificè invitabat; nec invitati, qvam excipientis magnificentia minor. Ut vero deſiderium ſuum expoſuit, arbitrio virginis omnia â patre

patre permiſſa ſunt, cum elogio, qvod ſe melius rebus, tum privatis, tum publicis, conſulere norit. Qvæ reqviſita de conſenſu, reſpondit; demittendum Regem in præſens, cum magnificis muneribus, domoqve officioſisſime deducendum; reduci vero, ædes, faſtigio ipſius dignas, exſtruendas monuit, in loco, ubi nunqvam ædificatum eſſet; ibi tres continuas ineuntis hyemis noctes ſoli acqvieſcendum, ſomniaqve notanda, qvæ offerrentur, ſibiqve per legatos communicanda, reſponſum certum iterum reportaturos. Sin vero nihil ſomniaret, neqve ſuum in conjugium conſenſum vel expetendum, vel exſpectandum. Secundum hoc reſponſum, regem, reditum maturantem, Comes condigno honore proſecutus dimiſit. Mandatis deinde virginis obſervatis, domum recens ædificatam, excubiis, dum ſomnum per trinoctium caperet, inſidias veritus, vallavit, oblatasqve imagines per oratores ei protinus deferendas curavit. Qvibus perceptis, reſpondit, integrum eis fore, qvoad liberet, apud ſe commorari, redeuntes tamen Regi ſuo nunciare mandat, ſe in totius fortunæ communionem cum hoc deſcenſuram. Hoc legatorum reſponſum, magna lætitia â Rege, jam voti compote, exceptum eſt. Ipſe ad nuptias, apud ſocerum celebrandas profectus, inter convivii hilaritatem ſomnia expoſuit, magnæqve admirationi virginis in eis enodandis ſagacitas fuit. Ordo autem ſomniorum talis perhibetur. Prima nocte, ſub dio conſtitutus ſibi viſus eſt videre, mare per omne regnum ſuum â litoribus, extra proſpectum, refluxiſſe, ſinusqve omnes & provincias inſulares in continentem receſſu ſuo convertiſſe, tres inde boves, albo colore, egreſſos, in terram conſcendiſſe, qvi fruges & herbas omnes radicitus depaſti, haut procul â loco ubi conſtiterat ipſe, diſtabant. Nocte ſecunda, tres item

 boves

boves oceanum effudiſſe, rubro colore, cornibus prægrandibus, qvos ſimiliter abſumtis frugibus herbisqve, poſt moram regreſſos, recepit. Tertia nocte eadem viſio, ſed colore in nigrum mutato, auctu etiam cornuum ſe manifeſtavit; mare vero, cum brevi eos denuò recepiſſet, magno impetu, tantoqve fragore refluens, ut per univerſam Daniam perſonaret. Per albos boves tres nivoſas hyemes, rubros nive carentes, ſed humore ſegetibus noxias, atros utrisqve etiam graviores, ſpem meſſis abſciſſuras, morbisqve ſine exemplo infeſtas, redeuntes in mare, merces opesqve regionis ad exteros avehendas, cornua facultates multorum, qvaſi cornibus abreptas, imminuendas denunciare conjecit; fragorem vero, nobilium Principum pugnas, & qvidem inter eos, qvi ſangvinis nexu eum propius attingant, ſed poſt fata illius demum gerendas, eo qvod hoc ſomnium noviſſimum fuerit. Nec ſe conjugalem ſocietatem cum eo inituram fuiſſe, ſi inter prima ſomnia viſio hæc obtigiſſet: jam vero ſibi viam conſtare, qvæ ingruentem annonæ caritatem vel avertat, vel mitiget. Convivæ, tanta Reginæ ſapientia læti, felix regnum ſtatumqve, tum Regium, tum publicum populi, tali Principe augurati ſunt. Hæc Saxo Lib. IX. de concubitu per tres noctes differendo ſomniorum cauſa aliter refert. Finita nuptiali feſtivitate, uxorem ſecum Gormus in Daniam, publica omnium ordinum lætitia, vimqve ingentem annonæ deduxit. Proviſum inde, ut ingens qvot annis frugum copia navibus inveheretur, complerenturqve granaria & penuaria omnia, adeo ut cum ſterilitas adverſiqve frugibus anni, regiones alias graviſſimè affligerent, non modo Dani abundarent ipſi, ſed vicinis etiam gentibus ſubvenirent; qvo immortali beneficio, non modo dum viveret, civium ſuorum propenſum

affectum

affectum amoremqve meruit, ſed & cognomen honoratiſſimum, qvod Danmarkiæ ſive Daniæ emendatricem ſonat (vulgo Danabot) hodieqve uſurpatur, etiam poſt mortem, omnibus ſeculis poſteritati memorabile, famamqve non Daniæ pomæriis incluſam, ſed late per orbem diffuſam in hunc uſqve diem extendit, proponiturqve Reginis, tanqvam abſolutum virtutum exemplum, ad imitandum & exprimendum idoneum, nec aliam fæminam hac Regina majorem unqvam vel utiliorem antiqvitas in Dania viſam aſſerit; nam & Margareta Dagmær, & illa Danica Semiramis, ſeqvioribus ſeculis, qvam forte hæc primo conſcripta ſunt, vixerant, qvarum poſterior, licet prolatis finibus major eſſet, ſatis tamen fuerit hanc virtute inſuperabilem invictamqve æqvaſſe, nam & Ageſilaus non imperii latitudine, ſed juſtitia & virtute Regiam Majeſtatem cenſuit. Duos filios ex hoc conjugio Gormus ſuſcepit Knutum, natu longe majorem, poſtea ab immodicis gentilium ſuorum ſtudiis Dana aſt, ſeu Danorum delicias dictum, & Haraldum, utrumqve avorum ſuorum nominibus inſignitum; paterni ille, hic materni retulit. Hinc parentum in utrumqve affectus, pro nominum ratione, Haraldus matri haut minus acceptus, qvam Knutus patri fuit, qvi adeo impenſe eum dilexit, ut jurejurando votum fecerit, neqve ſe ei, neqve eum, qvi ſibi illius mortem publicaret, ſuperſtitem futurum. Is enim in juventute, ingenio, forma, viribus & omnibus animi corporisqve dotibus omnes ſui æqvales in Dania excellebat, ipſoqve Haraldo potior habitus, apud avum maternum enutritus, intimum ejus affectum, procerumqve & totius vulgi ſibi conciliavit, cum Haraldus e diverſo, in aula patris educatus, ingenio â teneris irreqvieto, civium animos in ſe irritaret.

CAP. II.

Prodigia qvædam exponuntur. Comitis in iis explicandis ſolertia, ejus in nepotem Knutum ſtudium, teſtamentum, imperii abdicatio, tranſitus ad Chriſtiana ſacra.

Fuit & Haraldus Klakius Thyræ pater, vir in primis ſapiens, prodigiorumqve peritisſimus, qvorum interpretationem optimè calluit. Invitatus forte ad convivium Jolenſe, â genero Rege, cum ſe venturum pollicitus eſſet, ad præfinitum tempus profectus eſt, aſſumto ſecum alumno ſuo, eodemqve nepote, Knuto. Ubi ad fretum Limicum pervenit, tranſiturus, incidit in arborem, qvæ flores pomaqve, ſed parva, id temporis produxit, majoribus, autumnali ſcil: fructu, integris in terram ad radices delapſis. Prodigium id eo anni tempore Comiti viſum, itaqve domum, mutato ulterioris ad convivium itineris propoſito, rediit. Rex exſpectatione fruſtratus, ſonticam tamen cauſam ſubeſſe ratus, iterum eum ad proximam Jolenſem feſtivitatem per legatos invitavit; qvi conſimiliter ſe acceſſurum pollicitus eſt. Et jam in tranſitu ſinus Limici erat, dum catelli, nondum in lucem editi, intra uterum maternum, matribus tacentibus, latratum edentes auditi ſunt; id qvod Comiti, præſentibusqve maximum prodigium viſum, eos domum iterum convertit. Tertio anno invitatus ad idem feſtum, ubi, ſicut promiſerat, itinere ſuſcepto, ad idem fretum pervenit, noctem in citeriore ripa tranſacturus, duas undas ingentes ſeſe invicem impetentes, tanqvam oppoſitas acies obſervavit, qvarum una ab exteriore, altera ab interiore ſinus parte, contrariis ſpumoſis refractisqve undis impulſæ ſe invicem

cem magno ſtridore collidebant; qveis deſidentibus, aqvæ ſangvineo colore rubuerunt. Hoc tertio oſtento, Comes a profectione deterritus domum rediit. Haut diſſimilem viſionem, Edgaro Angliæ Regi, ſeculo poſteriori exhibitam, Simon Dunelmenſis recenſet. Finito feſto, Gormus ſe contemtum interpretatus, valde excanduit. Se igitur armis vindicare cum decreviſſet, præſenſit Regina conſilium, valdeqve disſvaſit, ſocero, incognita cauſa, arma inferri, ſatis eſſe dictitans, ut eo ad ſe accerſito cauſam abſentiæ cognoſceret, tantumqve effecit, ut deſerveſcente paululum impetu, Comitem arceſſeret: qvi comitatu pro dignitate inſtructus, familiariter qvidem exceptus eſt; deinde absqve longiore mora, cujus concepta ſemel & ægrè preſſa ira, præſertim a contemptus interpretatione profecta, impatiens fuit, in colloqvium vocatus, cauſam omnem expoſuit, ſeqve paratum ad oſtentorum enodationem aſſeveravit. A pomis, arbore germinante recens fuſis, orſus, religionis mutationem portendi prædixit, nam per ea novam, eamqve floridiorem, per grandiora humiqve jacentia veterem adumbrari, qvam putrefieri, inqve nihilum redigi oporteat. Per latratum vero catullorum, intra uteros matrum, eis ſilentibus editum, juniorum, ſenibus præreptum, imperium, conſiliorumqve auctoritatem prævalituram præfigurari, qvos tamen nondum natos exiſtimaret, eo qvod ante partum catulli latrarent. Per undas vero inter ſe colluctantes, indigenarum Principum bella denotari, nec abſonum fide, in freto Limico geri. His expoſitis ſatis-factum ſibi, prægnantis cauſæ obtentu arbitratus Gormus, percuſſores in ſoccrum occulte ſubornatos, ni ſolidis rationibus ſe purgaret, revocavit: qvem, indignatione in officium verſa, apud ſe, juſto honore benevolentiæqve ſtudiis affectum aliqvan-

qvantiſper detinuit, deinde magnificis donis muneribus qve ornatum dimiſit: qvi exinde brevi tempore domi moratus, alumnum ſuum nepotemqve Knutum, bonorum omnium, Holſatiæqve hæredem fecit, ipſe peregre in Galliam uſqve profectus, Chriſtianæ militiæ nomen dedit, nec unqvam in Daniam rediit. Præter hanc filiam, aliam etiam habuit, Thyrniam dictam, Sigurdi Cervi, Hringarikiæ Regis uxorem, Haraldi Pulchricomi aviam maternam, qvam juvenis procreaſſe videtur.

CAP. III.

De geſtis Gormi in Dania, cum Imperatore Henrico Aucupe, Frodium Jutiæ Regem Gormo fuiſſe ſubjectum, variorum Scriptorum teſtimonia de iis, qvæ ſub ipſo acciderunt. Adami Bremenſis, cum hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium qvaliscunqve conciliatio, de baptiſmo Haraldi Cærulidentis.

Geſta Gormi, in Serie Regum Daniæ, Lib. II. Cap. I. pag. 86. utet Lib. III. Cap. XVI. pag. 444, ex Hiſtoria Olafi Tryggvini, verbis ejus expoſui, nimirum, qvod Jutiæ Regem Gnupam aliqvot præliis afflictum tandem occiderit, regnumq; ipſius in ſuam poteſtatem redegerit. Deinde cum alio Rege Silfra-Skallio aliqvoties conflixerit, ſemper victor, tandem qvoqve illum trucidaverit. Poſtea, in interiora Jutiæ penetrans, omnes Reges Slesvicum uſqve deleverit, magnamqve partem Vindlandiæ (Vandaliæ) ſibi ſubjecerit, multa prælia contra Saxones geſſerit, & Rex potentisſimus evaſerit; id qvod Adamus Bremenſis ex parte confirmat Lib. I. Cap. XLVI., ubi tradit. Danos, Slavos au-

xilio habentes, primo Tranſalbianos Saxones, deinde cis Albim vaſtantes, magno Saxoniam terrore qvasſaſſe, qvo tempore Gurm filius Hartewig regnaret. (Sic enim Horda-Knutum per inſcitiam appellat.) Proximis autem capitibus virtuti ejus multum derogat, ubi tradit eum ab Henrico Aucupe poſt deletos Ungaros, Bohemos, Sarabos, cæterosqve Slavorum populos, cum exercitu Daniam ingreſſo, adeo perterritum, ut pacem ſupplex peteret. Illam autem expeditionem Hiſtoria Olafi Tryggvini Part. I. cap. XXIX. pag. 69. ad annum circiter CMXXIX refert, qvod etiam Hvitfeldius ſeqvitur, licet alibi viceſimum qvintum aſſignet. Pontanus poſt nongenteſimum viceſimum ſecundum recenſet. Regino ad annum 931. Marianus Scotus ad 930. refert. Hoc tempore Frodius qvidam in Jutia regnavit, ad qvem Olafi Tryggvini vitæ auctor tradit, Unnonem Epiſcopum Bremenſem acceſſiſſe, eumqve cum univerſo populo baptizaſſe. Tunc qvoqve re parata fuiſſe templa, qvæ Heidabæis (Slesvici) & Ripis deſolata fuerunt. Tunc & Arhuſiæ templum ædificatum fuiſſe. Planum eſt, hunc Frodium Gormo ſubjectum fuiſſe, ejusqve permiſſu liberam Chriſtianæ religionis profeſſionem obtinuiſſe, Imperatoris metu coërciti, aliàs ſemper Chriſtianis infeſtisſimi, ut crudeliſſimus vermis eo nomine ab Adamo Bremenſi audiat, qvem Chriſtianitatem, qvæ in Dania fuit, prorſus delere molitum, ſacerdotes Dei finibus ſuis depuliſſe, plurimos qvoqve per tormenta necaſſe teſtatur, id qvod devotioni ejus, erga Deos qvos colebat, adſcribendum eſt. Neſcio an odio illius ſterqvilinium Gormi nomen acceperit, adhuc in Islandia uſitatum; ſcriptum nuſqvam legiſſe memini. Hunc Frodium, ſeu Frothonem, diverſum eſſe ab illo, cujus Adamus Bremenſis, ſub Rimberto Archiepiſcopo, Sige-

fridi nomine celebris, Lib. I. Cap. XXVIII. mentionem facit, Henrici Aucupis Unnonisqve tempora monſtrant; Sigefridus enim in clade Normannica, non procul â Lovanio Bravantiæ oppido occiſus eſt. Ne vero Lector miretur, cur nos Frodii ſeu Frothonis, & Sigefridi nomina, tanqvam uni viro propria hic conferamus, tenendum eſt, Sigfrodium & Sigefridum idem nomen eſſe viri, qvem extranei poſteriori modo Segefridum, pronunciarunt. Sigfrodius autem, uſitatiſſima veteris Danicæ lingvæ aphæreſi, Frodius appellatur, qvi communiter Frotho dicitur. Hunc itaqve Frodium, inter eos qvos Gormus devicerat, cenſendum exiſtimo, tunc ad fiduciariorum conditionem redactum, nec forſitan ultra tributa obnoxium, de qvo infra in Haraldo Cæruldente pauca addenda ſunt. In Gormi tempora incidit clades Regum Nordmannorum, & Abotridarum per Henricum Aucupem ad Chriſtiana ſacra facta converſio, qvam Sigebertus Gemblacenſis ad annum nogenteſimum triceſimum, Marianus Scotus ad proxime ſeqventem refert. Luithprandus idem forte intendit Lib. I. Cap. II, ubi eum primum Danos ſubjugaſſe, ſibiqve ſervire coegiſſe, ac per hoc nomen ſuum multis nationibus celebre feciſſe tradit. Prius tamen Mutius, Chronici Germanici Lib. XII. nimirum ante annum nongenteſimum viceſimum tertium eum Abotridas magna pugna ſuperaſſe, nec cum ſupplicantibus pacem prius facere voluiſſe, perhibet, qvam Chriſtianam religionem agnoſcerent, Danos etiam, qvi Friſiam vaſtabant, ab illo domitos affirmat; id qvod de illis ſolis intelligendum videtur, qvi Friſiam Rege Chiupia vaſtarunt, qvod anno nongenteſimo triceſimo qvinto, qvi, noſtro calculo, Gormo fatalis eſt, applicat Sigebertus (ſine dubio is eſt qvem Vitichindus Monachus Geſtorum Saxonicorum Lib. I.

in

in fine vitæ Henrici Aucupis Cnubam appellat.) An vero ſit ille Cnuto, cujus Ditmarus, Epiſcopus Merſeburgenſis, Chronici Lib. I. meminit, qvemqve cum ſubditis ſuis Northmannis & Danis, a priſtino errore revocatos, armis obtemperantes fecerit, Chriſtiqve jugum portare edocuerit, definire neqveo, cum potuerit eſſe Knutus Gormi filius Danaaſt, qvi tunc agro Sleſvicenſi ab avo donatus præfuit. Regum certe filios, cum piratis duces ſe præberent, Reges appellatos conſtat. Qvid ergo vetat, qvo minus Knutus, Rege natus, tanti territorii dominus, Regium qvoqve nomen aſſumſerit, iisdem temporibus, qvo id in Norvegia filii Haraldi Pulchricomi uſurparunt? qvod qvamvis non temere affirmem, tamen non omni auctoritate deſtituitur hæc conjectura: nam Fagrſkinna in colloqvio Comitis Haconis cum Gull-Haraldo, Knuti hujus filio, tradit eum (Gull-Haraldum) Regis filium fuiſſe, nec minori jure ad regnum niti, qvam patruus ejus Haraldus. Hunc Knutum ſi loco Haraldi fratris intelligendum ſtatuam, ab Unnone Archiepiſcopo Hamburgenſi, ſecundum Hiſtoriæ Archiepiſcoporum Bremenſium mentem baptizatum, conciliem forte eam cum ipſo Adamo Bremenſi. Is enim Lib. I. Cap. I. ſcribit, Unnonem in Daniam profectum, ubi tunc crudeliſſimus Gwrm regnaverit, eum qvidem, pro ingenita ſævitia, flectere neqviviſſe, filium autem Regis Haraldum, ſua prædicatione lucratum, Chriſto ita fidelem perfeciſſe, ut Chriſtianitatem, qvam pater ejus ſemper odio habuerit, ipſe haberi publicè permitteret, qvamvis nondum baptiſmi ſacramentum perceperit. In laudata autem Archiepiſcoporum Brem. Hiſtoria, ubi de eodem Unnone agit, tradit eum poſtqvam ad Danos perveniſſet, Haraldum Regem (NB.) baptizaſſe, cum Danorum multitudine, cujus adjutorio omnes

Danorum inſulas circumiverit &c. Qvæ qvidem inter ſe non cohærent, nec cum iis, qvæ idem Adamus Bremenſ. Lib II. Cap. II. de ejus baptiſmo ſub Ottone Primo memorat. Knutum igitur crediderim, utpote vicinum Saxoniæ Principem, ut videtur, â teneris â Chriſtiana fide non abhorrentem apud eum avum educatum, qvi cilicernium Chriſtianæ religionis amore abreptus, in externas regiones conceſſit, ſeqve ſacro fonte abluendum præbuit, hic intelligendum; magis enim ei convenit, qvod Antiſtiti auxiliatus in tantum fuerit, ut omnes Danicas Inſulas penetrans Evangelium prædicaverit, ſi ipſe & converſus fuerit & baptizatus, qvam Haraldo, cujus qvoqve conſenſum, tum ſceptra, patre ætate feſſo adminiſtrantis a Knuto impetratum credere par eſt. Noſtram conjecturam Arildus Hvitfeldius in limine Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, qvam Epiſcoporum Chronicon inſcripſit, ſtabilit. Conſtat præter hæc, Imperatorem non ultrà Sleſvicum perveniſſe. Nimis itaqve hyperbolicè ei tribuitur, qvod Danos devicerit, eo qvod particulam gentis, non omnino â Chriſtianorum cultu averſam, partim armis, partim forte promiſſorum illecebris, & melioris conditionis oſtentatione, in obſeqvium ſui traxerit, Saxonumqve coloniam in Holſatiam, non tam tranſtulerit, qvam Danis Germanisqve, qvi ibi forte prius habitarunt, miſcuerit.

CAP. IV.

De Gormi Knutiqve extremis, diverſæ traditiones.

Gormi Knutiqve extrema, Hiſtoria Olafi Tryggvini Lib. I. Cap. LXXVI. deſcribens, refert, inter Gormum

& Ha-

& Haraldum, poſtqvam ad maturam ætatem pervenerat, diſſidium exortum, cujus moleſtiam exſpuiturum Haraldum, impetratis â patre aliqvot piraticis navibus, æſtivis annorum partibus, terra mariqve infeſtum, ſpolia undiqve congeſſiſſe, hybernis autem in patris regno pacatum remanſiſſe. Ubi vero tam periculoſi qvæſtus ſatietas illum ceperit, cæpiſſe cum patre expoſtulare, ut tantam portionem regni ſibi cederet, qvantam Knutus in Holſatia dono avi materni acqviſiverat. Qvod cum non impetraſſet, ortam ex æmulatione ingentem in fratrem iram, in exitium ejus tandem vertiſſe. Qvod qvamvis dubiæ fidei ſit, cum certiores memoriæ, Knytlingorum præſertim hiſtoria, tradant Haraldum vivo patre totum regnum adminiſtraſſe; ea tamen qvæ citata Tryggvini hiſtoria tradit, ejus pene verbis exſcribere non pigebit. Contigit, inqvit, ut Knutus ad convivium Jolenſe a patre invitatus, tribus, cum Haraldus ê piratica ex Eoo mari, novem, vel etiam decem navibus, inſtructus, redux, uterqve ſimul in ſinum Limicum fortuito appellerent. Hic viribus numeroqve navium militumqve potior, fratrem Knutum ex improviſo adortus occidit; gnarus autem paterni voti, proviſurus perhibetur, qva ratione patri, ſed abſqve nuncii periculo, mors filii, ipſi pariter exitioſa, innoteſceret. Per fidum igitur nuncium, virum amicum, nomine Haukum, matrem de his conſuluiſſe, qvæ accedere ipſum, perqve ambages exponere juſſit, duos accipitres ſe invicem impetiviſſe, album alterum, alterum cineraceum, huncqve illum enecaſſe. Patri igitur in convivio poto, hæc cum expoſuiſſet, abſqve ulla ſuſpicione diſceſſit, nec ubi cum copiis ſuis noctem illam peregiſſet, qvicqvam conſtat. Mater autem Thyra univerſam aulam tapetiis nigris cineraceisqve inſternendam

 curavit,

curavit, certo publici luctus indicio. Omnes autem in urbe matronas nobiliores, Reginam lugentem imitari conſveviſſe. Verum cum ſeqventis diei mane, Gormus ſolium conſcenſurus eſſet, habitum aulæ mutatum obſervavit. Reginam igitur affatus, Tuo, inqvit, imperio apparatum aulæ ſubito mutatum intelligo. Qvo igitur, reſpondit illa, iſtud tendere putas? Annunciatura videris, inqvit, mihi, filii mei Knuti mortem. Imo vero, reſpondit, tu mihi ipſam publicas. Qvibus auditis Gormus, ſedem unde ſurrexit repetiturus, præceps labentiqve ſimilis ſe inclinans actutum exſpiravit. Chronici Norvegici editio Danica id aliter refert; nam cum ex Reginæ aulicorumqve pullo amictu collegiſſet filii fatum, ita inqviebat: Dania jam univerſa lachrymatur, tanqvam morte filii mei Knuti, exſoluturusqve ſe promiſſis poſtridie mortem oppetivit, cum regnaſſet annos nonaginta. Thyra autem filio per nuncios fatum patris ſignificans, ad exeqvias ſolenniter celebrandas hortata eſt; qvas is haut gravatè, libentius etiam, ſi prius licuiſſet, ingenti pompa executus perhibetur. Eo convivio patris hæres, inqve regnum & univerſa bona, tam mobilia, qvam immobilia ſucceſſor factus; poſtea publicis per univerſum regnum comitiis civium omnium ſuffragiis inaugurabatur. Minus mihi hæc probantur, cum vivo patri, vicariam in adminiſtratione regni operam præſtiterit, litem ex negata regni portione emerſiſſe; libidine potius integri poſt fatum patris potiundi, invidia qvoqve ob populi in fratrem immenſa ſtudia incitatum, eum ſuſtuliſſe, alius forte divinaverit. Refert deinde laudata hiſtoria Cap. LXXIX. aliam de morte Knuti Dana aſt relationem, licet hanc qvam expoſui, nec â prodigio in freto Limico, avo materno viſo, nec â Gormi patris ſomnio, & matris expoſitione abhorreat

(niſi

(niſi forte hæc Gull-Haraldo Knuti filio rectius applicentur) nimirum qvod Gormi filii magnam Northumbriæ partem occupaverint; Qvodam autem die, cum incautius inter claſſes natarent, ſubito hoſtium adventu, telo obrutus Knutus occiderit, inqve Daniam delatus fuerit. Nec ab illa relatione Saxo prorſus abludit, licet in Hibernia inter ludorum ſpectacula peremtum tradat. Seriem autem Angliæ (forte orientalium Angliæ) Regum, qvos S. Edmundo paucis ante lineis ſucceſſiſſe tradit, mihi certe inexplicabilem, ipſis Anglicæ gentis perſpicaciſſimis Antiqvariis inſpiciendam relinqvo. Nos eam in Serie Regum Daniæ Lib. III. Cap. XI. pag. 374. expoſuimus. Ex his facile refellitur Svenonis Aggonis inficeta fabula, qvæ Ottonem Magnum ſecreta legatione Thyram â marito Gormo, in ſuum thorum thalamumqve pellicere conatum perhibet, â Clariſſimo Stephanio in notis ad eam etiam improbata; qvam hic adſcribere viſum eſt. Illius verba ex capite tertio ita ſonant.

CAP. V.

De Thyra Danmarkebot, Svenonis Aggonis fabuloſa relatio exponitur, & refellitur.

Illis temporibus Otto Imperator Daciam ſibi fecerat tributariam, propter Regis, ut arbitror, deſidiam, qvem ſupra meminimus, gulæ tantum & deliciis inſervire. Qvinimo eò pervenit inſolentiæ, ut infamiæ diſcrimen toti regno conaretur irrogare. Qvippe ſupra memoratæ Reginæ pudicitiam ſuis pertentavit illecebris irretire. Miſſi ſunt itaqve legati, qvi ſub ſpecie cenſum colligendi in conclavi Reginam convenirent, pariterqve ſalutes perferrent Impe-

„ Imperatoris, & ſimul ejus donaria, Regiaqve munera of-
„ ferrent. Adhæc juſſi ſunt etiam Reginæ ſuggerere,qvan-
„ to ſatius eſſet eam, non ſolum ob eximiam & luculentam
„ formæ ſpeciem, ſed & ſingularem animi prudentiam, Ro-
„ mano præeſſe Imperio, & Imperatricem exiſtere, qvam
„ vel tributariam, vel ſaltem modici fore regni Reginam.
„ Sit ergo, inqviunt, ſanioris conſilii propoſitum, oblatam
„ potentiam haut incircumſpecte renuere; ſit etiam altioris
„ prudentiæ ſpecimen tam famoſi Principis nomen Maje-
„ ſtatemqve in veſtræ dilectionis gremio perpetua firmitate
„ fovere, qvam ingenti vos honore amplexantem mutuo
„ viciſſim non proſeqvi affectu. Qvod cum audiviſſet Thy-
„ ra Regina, ſecum deliberandi poſtulavit inducias, ut be-
„ nigni & competentis reſponſi velut æqva lance tam ele-
„ ganti ſalutationi ſatisfaceret. Interea legatis modicam
„ illic moram facientibus promiſſorum fides, Reginam ar-
„ ctius urgebat, finem præſentis inveſtigare negotii. Tan-
„ dem ſciſcitantibus illis, qvidnam reſponſi Domino ſuo re-
„ nunciarent, præcluis illa Heroina, & qvæ ſola dici Regi-
„ na meruit, generoſi pectoris ſolertia dolum commentata,
„ dulciſſimis blandiri cæpit alloqviis, votiqve ſe executioni
„ paratam eſſe annuit. Grandem tamen rem ſe oſtendit in-
„ choaturam, dum proprii viri thoro ſpreto, ad alterius
„ connubium tanqvam adultera convolaret. Magna igitur
„ pecuniæ ſummâ ad rem tantam, tamqve famoſum facinus
„ expiandum redimendumqve opus eſſe ſignificabat. Qva-
„ re ſi voti compotes exiſtere cuperent, trium annorum
„ cenſum ſibi indulgerent. Omni itaqve morâ remotâ, ad
„ Imperatorem legati celerrimè proficiſcuntur, ut ipſi & re-
„ ſponſum Reginæ & reſponſi conditionem renuntiarent.
„ Qvo accepto, Imperator alacri vultu, ingentiqve lætitia

„ qvod

qvod poſtulaverat Thyra ſpoſpondit, dummodo obſidibus “
pacti præſtaret ſecuritatem. Mox Daciam repetere feſti- “
nant legati, Imperatorisqve voluntatem Reginæ inſinuant, “
ſimul obſides exigunt, qvo conſtantius pacti firmitudo per “
ſeveraret. Nec mora; Heroum filii generoſiſſimi duode- “
cim eliguntur obſides, qvos in Saxoniam ſecum adduce- “
bant legati. Interea Regina per univerſum regnum edi- “
ctum promulgavit, ut totius regni univerſus populus cor- “
rogatus unà prope Sleſvicum conveniret, omnesqve, qvo- “
rum in regno eſſent domicilia, ingentis valli molem, cu- “
jus celerius exſtruendi conſilium cepiſſet, propriis juſſit “
manibus elaborare. Illos vero, qvos rei familiaris urge- “
bat inopia, fovit cenſus ſubſidio, taliqve operi pecuniam “
erogabat, qvam dolo impetraverat. Nec cuiqvam ſe ex- “
cipiendi prærogativam impertivit, qvin juvenes, ſenes & “
adulti, cunctiqve qvos vel infantia tenerior non impediret, “
vel ſenii defectus non prohiberet, operi præfato non inſu- “
darent. Qvippe adeo neceſſitas obſeqvendi univerſos ur- “
gebat, ut omnes divites & pauperes ejus agris & prædiis “
culturam, tanqvam coloni, impenderent. Nam prout re- “
gni regimen obtinuit, ita tunc temporis univerſam regni “
tellurem Reges jure dominii poſſidebant. Mænium ita- “
qve Thyra primum conſtruxit elegantiſſimum, qvod poſt- “
modum Danis, velut indagine incluſis a Tevtonica rabie “
tutiſſimum ſemper munimen extitit. Cui cum duorum “
jam annorum operam impendiſſet, tanti ædificii celebris “
fama ad aures convolavit Imperatoris, qvi propterea lega- “
tos iterum in Daciam deſtinavit, qvi callide percontaren- “
tur, ut qvid Reginà tali inſudaret operi, ſi pactum violare “
non moliretur? Cui Regina diſertiſſima tale reddidit re- “
ſponſum. Satis admirari non valeo, cur tam eximiæ pru- “

„dentiæ Princeps, cujus thronum ad ſidera ferme Divina „ſublimavit gratia, qviqve conſilio perſpicaciſſimo tot gen„tium feritates ſuo ſubjugavit imperio, ab inepta muliere „dignatur conſilii profunditatem rimari. Suam etenim non „arbitror latuiſſe ſolertiam, qvod & veſtra jam didicit ex„perientia, commeantium peditum eqvitumqve ad nos nus„qvam patere aditum, niſi per modici campi planitiem, cui „jam immaniſſimi muri obicem hoc objeci intuitu, ut qvod „toti prius regno patebat pervium, nunc muri obſtaculo „ſtratâ cominus obſtructâ, exeuntes portâ cohibeat angu„ſtiſſimâ. Qvippe cum Domini mei votum fideliter ex„plevero, meqve voluntati veſtræ accomodavero, commu„ni exercitui; qvem gentis noſtræ ſævitia procul dubio in „me armabit, perſeqvendi nos poteſtas tanti munimenti „objectu facile adimitur. Qvo accepto, tam illuſtris fæmi„næ ſolertiam pariter ac facundiam legati oppido commen„dabant; & jam de voto ſecuri hilares ad propria repeda„bant. Interea Regina operi inchoato vehementius inſta„bat. Sicqve Tevtonicæ turgiditati mulieris illuſit aſtutia. „Evoluto autem trium annorum ſpatio, ingenioſi operis „ſtructura, propugnaculis qvam decenter ornatis, penitus „conſumata eſt. Cui nomen poſteri indiderunt Danæwir„ki nuncupantes, eo qvod Danorum ſudore patratum con„ſumatumqve extiterit. Reginam vero Thyram, cujus „ingenio Danorum & parta & aucta libertas, non immerito „decus Daciæ nominabant. Nec mora; electos imperii mi„lites ad Daciam cum ingenti pompa Imperator jubet in „occurſum Reginæ proficiſci. Qvos ingenti tripudio cæ„tus comitatur Hiſtrionum in fiolis, citharis, choris & tym„panis modulantes. Qvi juxta Eidoram metitis tentoriis „adventum illius præſtolabantur, ad Daciam paucis & po-

„tiori-

tioribus delegatis, qvi Reginæ voluntatem explorarent. “
Qvorum cum adventum Thyra comperiſſet, accerſitis ſibi “
regni ſui viris ſapientioribus, in communi eos audientia, “
ſic affata reſpondet. Qvod exigit Imperator renuo, qvod “
cupit recuſo, qvod affectat devito, ne ſimul & profuga & “
adultera regno faciam opprobrium, ſexui verecundiam, “
ſubditis improperium. Nam qvod Regis & mariti mei “
deſidiam mihi objicitis, non eſt qvod mihi id adverſari ex- “
iſtimetis, cum meis ſolius nutibus univerſum famuletur “
regnum, & nihil qvæſtionis aut controverſiæ abſqve no- “
ſtra terminetur conniventia. Ita ut Regis pariter ac Regi- “
næ me ſciatis honore pollere, Regem vero ſaltem hac ge- “
neroſitate florere ſciatis, qvod Regum undiqve ſit ſobole, “
procreatus. Unde licet magnitudini potentiæ imperato- “
riæ adæqvare ſe non valeat, regali tamen illo neutiqvam “
eſt inferior proſapiâ. Et ut brevi concludam eloqvio, â “
tributariæ ſervitutis jugo ego forti dexterâ Danos prope- “
diem emancipabo, nullam prorſus ſubjectionis reverenti- “
am vobis exhibitura. Ad hanc inopinatæ reſponſionis vo- “
cem legatorum mentes conſternatæ obſtupuerunt, & ad “
præfatorum procerum papiliones confuſi properabant. Ad “
qvos turmatim procerum turba confluxit, ſciſcitata, qvid- “
nam cauſæ ſit, qvod curſu tam præpropero reditum ac- “
celerarent? At illi non cunctanter, omni prorſus ſe refe- “
runt ſpe fruſtratos, mulierisqve circumventos verſutiâ. “
Qvo comperto, juſſi ſunt illico capitalem obſides ſubire “
ſententiam; nam & hujus rei exitum illuſtris illa Regi- “
na, qvaſi futuri non ignara, diu ante præſcivit. Satius e- “
nim decrevit totius regni ſervitutem paucorum morte re- “
dimere, qvam extraneis ad internecionem famulari. Mox “
Teutonicorum ambitio in luctum verſo tripudio, confu- “

,ſa, dolens receſſit & mærens. Hæc qvidem nullam veriſimilitudinem habent, imo nec umbram; nam præterqvam qvod pietati tanti Imperatoris non conveniat, minime certe conſiſtit, Daniam illo tempore ulli fuiſſe tributariam. Nec Otto Magnus ad imperium pervenit, priusqvam anno CMXXXVI, qvo tempore Gormus noſtro calculo in fata conceſſerat. Annalium autem chartaceorum fide qvatuor tantum annos ſupervixerat Thyra, certe ad annum ætatis ſeptuageſimum provecta. Omitto abſurdam in Imperatore ſimplicitatem, non dicam ſtuporem, ſi triennii moram, jam ejus amore ſaucius, indulſerit, tributaqve remiſerit, magis etiam ſi excuſationem illam admiſerit, qvam auctor adfert, qvod propugnaculum in eum finem exſtruxerit, ut ejus objectu tuta â Danis, poſtqvam ſe illius poteſtati permiſerit, repeti neqviret, alias facile retrahenda. Adeone legati ejus cæcutiebant, ut animadverſo munimenti ſitu, & ſtructura, ne intelligerent, an in uſum Danorum an Germanorum excitatum fuerit?

CAP. VI.

Continens brevem Chronologiæ conſpectum,

non ut ſingulorum anni vindicentur, ſed ut oſtendatur, qvæ hactenus tradita ſunt, citra magnam abſurditatem, poſſe conſiſtere.

Saxo, Thyram Ethelredi Angliæ Regis filiam fuiſſe ſtatuit, Regisqve Adalſteini ſororem (non itaqve Ethelredi, ſed Eadvardi Senioris filia erat) id tamen vix melius conſiſtit, cum ipſe anno nongenteſimo primo ad ſceptra evectus ſit, ejusqve pater Alfredus, uxorem duxerit anno DCCCLXVIII, ætatis ſuæ viceſimo, teſte Simone Dunelmenſe

menſe in Hiſtoria Regum Angliæ ad eundem annum, illam Polydorus Virgilius Hiſtoriæ Anglicanæ Lib. V. pag. m. 141. Edelwitham appellat, Eadvardiqve matrem tradit. Jam vero ex ſeqventibus patebit, Thyram, vel tunc nuper natam fuiſſe, vel certe ultra biennium ab eodem anno nativitatem ejus deprimi non poſſe. Qvomodo ergo Edvardi filia, cum vix ſoror ejus eſſe poſſit, certe non legitima? Nam in fine vitæ Haraldi Cærulidentis, oſtendam eum vix infra annum ſalutis DCCCXCV naſci potuiſſe; atqvi inter eum & fratrem ejus Knutum, Danaaſt dictum, magnum erat interſtitium, qvod nos decennio metiemur, ita ut is natus fuerit anno DCCCXXXV. fuerit tunc Thyra annorum viginti; nata ergo erit anno DCCCLXV, ſeptuagenaria cum maritus Gormus anno CMXXXV. deceſſit, prope vicenaria, cum illi jam qvinqvagenario nupſit. Illum in Serie Regum Daniæ anno DCCCXXXV natum ſtatuimus. Annales chartacei eum anno DCCCXL. cæpiſſe regnare, anno CMXL deceſſiſſe tradunt. Saxo ad ſenectæ humanæ ultimos terminos, perveniſſe tradit. Nos rationibus, in fine vitæ Haraldi Cærulidentis adducendis, perſvaſi, anno CMXXXV. deſiviſſe exiſtimamus, qvo tempore filius ejus Knutus qvinqvagenarius erat, Haraldus qvadragenarius. Et hæc aliqvatenus conſiſtunt. De Haraldo autem Klakio major oritur difficultas. Nos ejus annum natalem, ex alio progeniei ejus latere expiſcabimur. Pronepos ejus Haraldus Pulchricomus natus eſt anno DCCCLIII. ejus mater Ragnhildis, ejusdem Haraldi Klakii neptis DCCCXXXII. Hæc certa ſunt, nam hæc prope vicenaria nupſit. Ejus matrem Thyrniam qvoqve dictam, Sigurdi Cervi uxorem, Haraldi Klakii filiam qvoqve vicenariam Ragnhildem progeneraſſe ponamus; nata erit DCCCXVI, ipſum Klakium vicena-

 rium

rium illam procreaſſe pariter concedamus. Natus itaqve erit ipſe anno DCCCXCVI. nec infra id tempus illum deprimere poſſumus. Anno itaqve DCCCLXV, cum Thyra Gormi uxor nata eſt, ad nonum ſupra ſexageſimum annum provectus erit, ad nonum ſupra octogeſimum cum Knutus Dana aſt natus eſt, qvem ſi undecim annos educavit, deinde hæredem fecit, religionisqve Chriſtianæ amore ad exteros conceſſit, centenarius fuerit neceſſe eſt, idqve anno DCCCXCVI.

Conſpectus Chronologiæ talis.

Haraldus Klakius natus anno — — — — 796

Thyrnia Sigurdi		Thyra Gormi	
Cervi uxor — —	816	uxor — — —	865
I		I	
Ragnhildis — —	332	Knutus Dana aſt —	885
I		I	
Haraldus Pulchricomus	853	Gull-Haraldus — —	935

CAP. VII.

Succincta diſqviſitio de jure Haraldi in Angliam, ex teſtamento Edvardi Regis qvæſito, ejus contextus refellitur, exordium regni, geſtaqve ei connexa; excurſum in Normanniam falſò ad tempora, cum â filio in exilium actus erat, reduci; geſtorum in Gallia brevis expoſitio. Saxo notatur.

Expo-

Expoſitis qvæ de Gormo nobis remotioris Seculi memoriæ reliqverunt, ad Haraldum accedamus. In cujus geſtis digerendis Saxonis methodo potisſimum inſiſtemus. Singula, qvantum poſſumus, ad ea tempora redacturi, qvæ ex variis traditionibus inter ſe collatis, rebus, qvæ exponuntur, convenire arbitramur; præmiſſa ſuccincta anacriſi, de jure ſucceſſionis in Angliam, qvod ei tribuitur. Qvæ autem de eo Saxo tradit, abunde ex iis, qvæ ſuperius de Gormo dicta ſunt, convelluntur. Tradit qvidem Hiſtoria Olafi Tryggvini, Part. I. Cap. LXXIX. pag. 81. filios Gormi in Anglia & Northumbria magnam conſecutos eſſe poteſtatem, ſed Ethelredi (repone Edvardi) teſtamento hæredes factos: non conſiſtit, ante enim ejus obitum, virilem ætatem attigiſſe Saxo teſtatur. Obiit autem Edvardus anno CMXXIV, qvo tempore Gormus vixit, ultra decennium ſuperſtes. His ita monſtratis, corruit tota illa narratio, qvam Saxo hic de Anglia, Haraldo fratriqve ejus teſtamento ab avo legata, texit, ubi nonnulla occurrunt, qvæ ſuſpicionem injiciunt, eum non ſatis gentis illius hiſtoriam evolviſſe. Nec enim inter complures filias, qvarum numerum & conditiones Simon Dunelmenſis, Radulfus etiam de Diceto nomina recenſet, ulla Thyræ fit mentio, nec ſi inter eas fuiſſet; nec ſolum Adalſteinum filium reliqvit, ſed tres præter eum, ex qvibus Edmundus & Ethelredus ambo poſt eum regnarunt. Tantumqve abeſt ab ignaviæ ſama Adalſteinus, ut non ſolum Anglis & Scotis, ſed Islandis etiam inter Reges ſtrenuiſſimos memoretur. Unius Wilhelmi Malmesburienſis teſtimonium adducam, ex Libro ejus Secundo de geſtis Regum Angliæ. Propter hoc, inqvit (ſc. egregia Adalſteini facta) totâ Europâ laudes ejus prædicabat, virtutem in cælum ferebat, felices ſe Reges alienigenæ, non

falsò putabant, ſi vel affinitate vel muneribus ejus amicitias mercarentur. Abſurdum itaqve videtur, Edvardum, omnibus filiis præteritis, nepotem ex filia hæredem ſcripſiſſe. Ut taceam, an id ei per leges facere licuerit. Certe ordines regni repugnaturos crederem. Nec magis veritati litat, Adalſteino permiſſum, duobus fratribus vivis excluſis, alienigenam ſibi ſucceſſorem adoptare, aut ſi id præſens neceſſitas omnino exigebat, Regem Norvegiæ talibus promiſſis fidem habuiſſe, aut ſi forte contractus intervenit, diutius tamen ratum futurum exiſtimaſſe, qvam eadem, qvæ eum expreſſit neceſſitas, duraret, eoqve amentiæ proceſſiſſe, ut qvi idoneo pignore obſidibusqve ſibi caviſſe debuit, filium oppignoraſſe, obſidemqve dediſſe. Non igitur ſtatuendum, controverſiam de regni Norvegici jure, inter Daniæ Reges & Haraldi Pulchricomi ſtirpem, inde ortam, qvod Rex Norvegiæ jus hæreditatis in Angliam Danis unqvam præripere tentaſſet. Diſſidii cauſam prædones Danici primi præbuerunt, qvam nimis ſevera Haconis vindicta auxit, auxilia Gunnhildidis præſtita ſuſtentarunt, donec & illi vita omnes, regnoqve ſpoliati, Haraldum Daniæ Regem ſucceſſorem nacti ſunt. Inde origo juris, qvod in Norvegiam poſteri multo ſangvine ſibi arrogarunt. Patris Gormi tempore, Haraldum habenis regni admotum, ſilente Saxone, Islandorum, &, qvos ſecutus eſt Hvitfeldius, Annales, teſtantur; &, ut colligitur, non ſine Regio axiomate. Ad ea tempora cædes Akii, Palnatokii patrui, poſterius memoranda, redigenda erit. Solius Haraldi regni exordium, in Serie Regum Daniæ, ab anno CMXXXV auſpicati ſumus. Pontanus in annum ulterius produxit; Jam vero annum CMXXXV præferimus. Hvitfeldius triceſimo qvarto illigavit. Saxo inter prima fortitudinis ejus opera refert,

qvod

qvod trajecta in orientem piratica, circumpoſitum laceſſiverit oceanum; Nos qvoqve in vita Gormi, ex monumentis patriis oſtendimus, illum, impetratis â patre myoparonibus, oras maritimas infeſtaſſe, qvod latrocinii genus, etiam cum regnare cæpit, non abjeciſſe, Septentrionis conſvetudo oſtendit, qvam etiam Genſericus Vandalorum Rex, in Africa ſecutus eſt. Et ad illa tempora referenda videtur excurſio in Normanniam, ad Ducem Wilhelmum Hrolfi ſeu Rollonis filium, qvam & Wilhelmus Gemeticenſis Lib. III. Cap. IX. deſcribit, adqve annum C M XLII refert, exiſtimatqve tunc â filio Sveno regno pulſum, benigne a Duce ſuſceptum ac donatum, qvi eſt inter litoreas regiones, comitatu Conſtantienſi, indeqve collectis copiis in patriam regreſſum, ac filio fuiſſe reconciliatum, qvod tamen cum annis vitæ Sveni Pontanus fruſtra conciliare videtur. Impoſuit Scriptori poſthuma fama, de geſtis inter eum & Svenum, ideoqve hæc ad eum retulit. Nec hæc ſola conjectura eſt, nam auctoritate Orderici Vitalis ſtabilitur, qvi Hiſtoriæ Eccleſ. Lib. VI. pag. 619. qvemadmodum Dudo S. Qvintini Decanus, omiſſa belli cum filio, exilii & acceſſus ad Wilhelmum Normanniæ Ducem, ejusqve in eum munificentiæ mentione, tantum poſt cædem ejus legatis ad Haraldum in Daniam â Bernhardo Silvanectenſi Comite miſſos tradit, qvorum accitu cum magna claſſe in Normanniam properaverit, juſſu Bernhardi â Conſtantinis ſuſceptus, biennio exſpectaverit oportunitatem Gallis damnoſam, &c. Cum tamen prædictus Gemeticenſis legatos non in Daniam, ſed ad Haraldum, adhuc Chierisburch degentem, miſſos ſcribat. Mihi certe Vitalis auctoritas hic potior eſt, nam Gemeticenſis aſſerta cum temporibus, qvibus â filio regno pulſus eſt, minime conveniunt; cum is anno C M XLVIII. Adamo

D Bremen-

Bremenſi & Helmoldo teſtibus, parvulus fuerit. Geſta autem Haraldi in Gallia auctores nominati Dudo de moribus & actis Normannorum, Lib. III. Wilhelmus Gemeticenſis Lib. IV. Cap. VII, & Ordericus Vitalis, loco citato, Pontanus qvoqve Hiſt: Danicæ Lib. V. utet Polydorus Virgilius Hiſt. Anglicanæ Lib. VI. deſcribunt, qvorum brevisſimum conſpectum hic ſubjicimus. Wilhelmo Primo Normanniæ Duci, fraude Arnolfi Flandriæ Principis ſublato, Ricardus filius ejus, puer decennis ſucceſſit. Sed Ludovicus Caroli Simplicis filius, Tranſmarinus dictus, tutorii nominis titulo ditionem ejus invaſurus, eum in aulam ſuam educationis ſpecie adſciſcit, aſperiusqve tractans, cum de tollendo eo vel debilitando cogitaret, pædagogi induſtria, qvi puerum manipulo ſtraminis involutum ei eripuit, fruſtratur. Dum igitur eum recuperare nititur, proceres Normannorum deditionem ſimulantes, Comitem Hugonem Magnum, qvem in ſuas partes traxit, feſtivo commento ab eô diſtrahunt. Interea, per legatos in Daniam miſſos, Haraldum Regem arceſſunt, eumqve, ut oras Gallicas populetur, inſtigant, donec Rex Ludovicus ad colloqvium cum eo magnis copiis profectus, exorto ſubito bello, magna accepta clade capitur, Rotomagumqve deducitur, qveis peractis Rex Haraldus magna gloria in Daniam rediit. Ad poſteriora tempora, annum circiter CMLX idem Gemeticenſis Hiſt: Lib. IV. Cap. IX. refert, qvod ab eodem Duce Ricardo, idem Haraldus, ſolicitatus de auxiliis, adverſus Ludovici Regis filium, Galliæ qvoqve Regem Lotharium, claſſem militesqve in ſubſidium miſerit, qvi populationibus Regem ad pacificandum cum Duce cum adegiſſent, pars Chriſtiani facti, pars in Hiſpaniam vela vertentes, decem & octo urbes ibi diruerunt. Hæc licet temporibus disjun-

disjuncta, cum ad eaſdem perſonas pertineant, connectere viſum eſt. Ordinem auxiliorum, Haraldo Gunnhildis filio, â Rege Cærulidente præſtitorum, eventumqve noviſſimi cum Hacone Adalſteini alumno geſti belli, Saxo falſis iſtis cauſis ſubjunxit, qvod cum ad Hiſtoriam Norvegicam pertineat, nos qvoqve id in fine vitæ Haconis literis prodidimus. Stephanius, diſſenſum Saxonis â Chronico Norvegico, in notis ad hunc locum fuſe complexus eſt. Inde Saxo ad ea, qvæ Regi Haraldo cum Stirbiorno Sveciæ pugile, vel potius Principe, interceſſerunt, progreditur, geſtisqve cum Ottone Primo Imperatore implicat; qvem tamen noſtri Scriptores, magna nixi auctoritate, ad extrema Haraldi referunt. Nos, ſepoſitis in præſens Saxonis de eo relationibus, ſed aptiore loco repetendis, ad Chriſtianæ fidei negotium in Dania, per Imperatores Ottones promotum, tranſibimus: de qvo qvidem Saxo parcè, ſed nec ſatis diſtinctè, ſcripſiſſe videtur. Islandorum Antiqvarii etiam confuſius, qvorum tamen relationes hic apponere viſum eſt, non ut ſingulas probemus; ſed ut ingenioſus Lector ex iis, inter ſe & cum externis Scriptoribus collatis, colligere poſſit, qvid veritati maxime congruum videatur.

CAP. VIII.

Antiqvitatum Islandicarum, externorumqve Scriptorum traditiones, de fidei Chriſtianæ negotio in Dania, per Imperatorem Ottonem Primum, ſub Haraldo Cærulidente promoto.

In libro, qvem Seriem Dynaſtarum Regumqve Daniæ inſcripſi, religionem Chriſtianam in Jutiam introductam,

 ab

ab Archiepiſcopi Hamburgenſis Anſgarii temporibus, per Jutiæ Regum ſucceſſionum ordinem, ex Annalium Islandicorum relatione, uſqve ad Frodium, Imperatoris Henrici Aucupis tempore, ab Unnone (noſtris Hunone,) Archiepiſcopo Hamburgenſi, purioribus ſacris initiatum, expoſui. In geſtis autem Gormi Grandævi, iſtum Frodium ejus Regis fiduciarium fuiſſe, temporum rationem ſecutus, monſtravi, auctoritate inſuper Adami Bremenſis ſubnixus, qvi Gormo ſupremum Daniæ imperium Aucupis tempore aſſerit, unde patet, æram converſionis Frodii, reparatarumqve ædium ſacrarum Sleſvici Ripisqve, fundatiqve templi Aroſienſis, propagatiqve per Jutiam Chriſtiani cultus, in annum circiter CMXXXVIII incidere. Hoc autem tractatu qvid ſingulis Ottonibus, in hoc negotio, Islandorum memoriæ tribuant, oſtendam; adductis in medium earum de ſingulis teſtimoniis; adjectis etiam externorum traditionibus, & hoc capite de Ottone Primo.

Omnes omnino rerum Norvegicarum Scriptores, unanimi conſenſu tradunt, qvod occiſo Haraldo Grafeldo, Haraldus Cærulidens Daniæ Rex Norvegiam in ſuam poteſtatem, a promontorio Lidandisneſia, ad extremum uſqve boream redegerit, eiqve Comitem Haconem Hladenſem præfecerit, ſed defeciſſe eum tandem ab obſeqvio, poſtqvam eum Rex in fidem Chriſtianam jurare adegit. Id vero factum, plurimi eorum referunt, eodem anno, qvo Rex Haraldus ſacra limpha, prævio miraculo â Poppone edito, ipſo Ottone Imperatore præſente, tingi voluit. Tunc qvoqve Olaſum Tryggvinum militiam Imperatoris ſecutum profitentur; atqve adeo annum defectionis Comitis Haconis cum converſione Danorum connectunt, ut â tam celebri epocha illuſtratus, in dubium revocari neqvaqvam poſ-

ſit:

ſit: Hoc tanqvam immobili fundamento jacto, cum Regum Norvegorum ſucceſſiones, & ſingulorum imperii tempora propius inſpicerent, norintqve tres Imperatores ſibi invicem ſuccedentes, iſtius nominis participes fuiſſe, cæperunt dubitare, mox exactius inqvirere, in cujus horum tempora annosqve, characteriſmi tam celebres Principum Norvegorum inciderint, id cum non omnes aſſeqverentur, natus diſſenſus, & inde magna in temporibus Principum eorum digerendis confuſio. Alii enim tam pii inſtituti glorioſiqve ſucceſſus laudem Ottoni Primo, alii Secundo, alii etiam Tertio aſſignant. Nos ſingulorum teſtimonia hic apponemus. Vetuſtiſſimum monumentum Langfedgatal, Ottoni Primo hoc tribuit, his verbis.

Haraldr Konongr Blatonn tok riki i Danmork æpter " Gorm Konong fodur ſinn, a hans dogum heriade a Dan- " mork Otte Keyſare, hinn fyrſti med þvi nafni, er Kalladr " er Magnus, oc ſigradi hann, oc let hann ſkira Harald Ko- " nung, oc Svein ſon hans, oc veitti honum ſialfr gudſiſiar, " oc kallade hann Svein Otto, þenna Svein kalla Danir oc " nordmenn Tiuguskegg, þa tok oll Danmaurk vid kriſtni. " A þvi are var lidit fra burd vars herra Jeſu Chriſti IX " hundrut oc fimtiger ara. Haraldr Konongr Blatann hellt " vel ſidan kriſtni. Hoc eſt. "

Rex Haraldus Cærulidens, patri ſuo Gormo ſucceſ- " ſit in regnum Daniæ. Ejus tempore Imperator Otto, id " nominis Primus, qvi & Magnus uſurpatur, Daniam bello " laceſſivit, Regemqve vicit, ipſumqve, cum filio ejus Sve- " no, ſacro lavacro abluendos curavit, Svenumqve ipſe de " fonte regenerationis ſuſcepit, & Sven-Ottonem appellavit. " Hunc Svenum Dani & Nordmanni Tiuguskegg, id eſt ad- " morſam, (vel furcatam) barbam appellant, Tunc univer- "

„Dania Chriſtiana ſacra recepit. Effluxerant tunc â nati-„vitate Domini noſtri Jeſu Chriſti nongenti qvinqvaginta „anni. Exinde Rex Haraldus ſumma fide Chriſtianam re-„ligionem coluit.

Utriqve Annales, tam Flateyenſes, qvam illi vetuſtiores, tantum tam glorioſum opus eidem Imperatori Magno adſcribunt, inqve annum CMXLIX referunt, Chronicon Danicum, pag. 120, idem Ottoni Magno tribuit. Kringla, ut et Fagrskinna non definiunt, qvinam Otto is fuerit, cæteris tamen conſentientem narrationem exponunt. Vetuſtiores tamen Annales, qvos citavi, annum variant, de qvo infra. Jam ad externos Scriptores progrediar. Adami Bremenſis relatio, ê Libri Secundi Cap. II. ſic habet. De-„inde (Otto) poſtqvam omnia ferme regna, qvæ poſt mor-„tem Caroli defecerant, ſuo imperio ſubjugarat, in Danos „arma corripuit, qvos ante pater ejus compreſſit, enimve-„ro tunc rebellare moliti, apud Heidelum legatos Ottonis „cum Marchione trucidarunt, omnem Saxonum coloniam „funditus extingventes. Ad qvam rem ulciſcendam, Rex „cum exercitu invaſit Daniam, tranſgreſſus terminos Da-„norum apud Sleſvig olim poſitos, ferro & igne totam va-„ſtavit regionem, uſqve ad mare noviſſimum, qvod â Da-„nis Nordmannos dirimit, & uſqve in præſentem diem â „victoria Regis Ottinſunt dicitur, cui regredienti Haraldus „apud Sliaſwig occurrens bellum intulit, in qvo utrisqve „viriliter certantibus, Saxones victoria potiti, Danos ad na-„ves cedere coegerunt. Tandem conditionibus ad pacem „inclinatis, Haraldus Ottoni ſubjicitur, regnumqve ab eo „ſuſcipiens, Chriſtianitatem in Dania recipere ſpoſpondit; „nec mora, ipſe Haroldus cum uxore ſua Gunhild, & filio „parvulo baptizatus eſt, qvem filium Rex noſter â ſacro

„fon-

ſonte ſuſceptum, Svenotto vocavit. Eo tempore Dania " cismarina, qvam Jutland incolæ vocant, in tres diviſa " epiſcopatus Hammaburgenſi Archiepiſcopatui eſt ſubjecta. " Servantur in Bremenſi Eccleſia præcepta Regis, qvæ ſi-" gnant Regem Ottonem in ſua ditione regnum Danicum " tenuiſſe, adeo ut ille etiam Epiſcopatus donaverit. Et pau-" cis interjectis. Igitur beatiſſimus Archiepiſcopus noſter " (is erat Adaldagus) omnium primus ordinavit in Daniam " Epiſcopos, Haroldum ad Sliaſwich, Leaſdagum ad Ripam, " Reinbrandum ad Arhuſam, qvibus etiam illas commen-" davi Eccleſias, qvæ trans mare ſunt, in Finne, Seland & " Scone, ac in Sveonia. Hoc factum eſt anno Archiepiſco-" pi duodecimo."

His locus ex Olafi Tryggvini Hiſtoria â nobis in Se-rie Regum Daniæ Lib. III. Cap. XV. pag. 429. allegatus ſuf-fragatur, ubi Frodium Jutiæ Regem, ab Hunone (Unnone) prius baptizatum, Romam legatos miſiſſe, atqve tres in Ju-tiam Epiſcopos, Pontificis Agapeti conſilio, conſervari cu-raſſe tradit, conſecratos autem fuiſſe Hereum ad ſedem Heidabæenſem (Sleſvicenſem) Liſdagum ad Ripenſem, & Rimbrandum (codici Flat: Rimbertum) ad Aroſienſem. Hæcqve acta notat anno â nativitate Domini CMXLVIII, regni Ottonis Magni duodecimo.

Ditmarus etiam, inter Ottonis Primi præclara geſta, hoc etiam numerat; in tempore diſſenſus eſt. Sigebertus Gemblacenſis, & Matthias Veſtmonaſterienſis, ad annum CMXLVI. Magnum autem Chronicon Belgicum, ad CMLXVII expeditionem hanc refert. Vitichindus Mo-" nachus, qvi Ottonis Primi & Secundi tempore vixit, hæc " Geſtorum Saxonicorum Lib. III ita memorat. Dani anti-" qvitus erant Chriſtiani, ſed nihilominus idolis ritu gentili "

ſer- "

„ſervientes. Contigit autem altercationem ſuper cultura „Deorum fieri in qvodam convivio, Rege præſente, Danis, „affirmantibus, Chriſtum qvidem eſſe Deum, ſed alios fo- „re eo majores Deos, qvippe qvi potiora mortalibus ſigna „& prodigia per ſe oſtenderent. Contra hæc clericus qvi- „dam, nunc vero religioſam vitam ducens, Epiſcopus no- „mine Poppo, unum verum Deum patrem cum filio uni- „genito, Domino noſtro Jeſu Chriſto & Spiritu Sancto, Si- „mulachra vero dæmonia eſſe, & non Deos, teſtatus eſt. „Alardus autem Rex, utpote qvi velox fuiſſe traditur ad „audiendum, tardus ad loqvendum, interrogat, ſi hanc fi- „dem per ſemetipſum declarare velit. Ille incunctanter „velle reſpondit. Rex vero cuſtodire clericum uſqve in „craſtinum jubet. Mane autem facto, ingentis ponderis „ferrum igne ſuccendi jubet, clericumqve ob fidem catho- „licam candens ferrum portare juſſit. Confeſſor Chriſti „indubitanter ferrum rapit, tam diuqve deportat, qvo ipſe „Rex decernit, manum incolumem cunctis oſtendit, fidem „catholicam omnibus probabilem reddit. Adhæc Rex con- „verſus, Chriſtum Deum ſolum colendum decrevit, idola „reſpuenda ſubjectis gentibus imperat, Dei ſacerdotibus & „miniſtris honorem debitum deinde præſtitit. Sed & hæc „merito virtutibus patris tui aſcribuntur, cujus induſtria „in illis regionibus, Eccleſiæ ſacerdotumqve ordines, in „tantum fulſere.

Eqvidem jus ſedium Epiſcopalium, per univerſam Jutiam inſtituendarum, & ad minimum ſuprema in Eccleſias patronatus jura, Imperatoribus, laborum, periculorum, impenſarumqve præmium, bello ab Ottone Primo Danis illato, acqviſita, ex privilegio ejuſdem Imperatoris, de Eccleſiis Hamburgenſi Eccleſiæ ſuffragantibus, credi poſſet, ni

Scriptoris vitæ Olafi Tryggvini auctoritas obſtaret, qvi ultro per legationem expetitos â Frodio Epiſcopos, ſedesqve Epiſcopales inſtitutas refert, cum utrumqve ſubſiſtere poſſit, nos tamen Imperatoris diploma hic ſubjicimus.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina " favente clementia Imper. Aug. qvum Imperatoriæ dignita- " tis officium eſſe conſtet, ut erga Divini cultum officii per- " vigili cura inſiſtant, & qvicqvid argumentum Sanctæ Chri- " ſtianæ religionis adhibere potuerint, indeſinenter in hoc " ſtudeant. Idcirco nos interventu dilecti Archiepiſcopi no- " ſtri Adaldagi, proſperitate & incolumitate imperii noſtri, " qvicqvid proprietatis in marca vel regno Danorum ad Ec- " cleſias in honorem Dei conſtructas, videlicet Sleſwigenſem, " Ripenſem, Aruſenſem, vel adhuc pertinere videtur, vel fu- " turum acqviratur, ab omni cenſu vel ſervitio noſtri juris " abſolvimus, ut et Epiſcopis præſcriptarum Eccleſiarum, " abſqve ulla comitis vel alicujus fiſci noſtri exactoris inſe- " ſtatione, ſerviant & ſuccumbant, volumus & firmiter jube- " mus. Servos vero & colonos in eiſdem proprietatibus " habitantes, nullis niſi eiſdem Epiſcopis ſervituros, ab omni " etiam noſtri juris ſervitio abſolvimus, & ſub nullius banno " ſeu diſciplina illos niſi ſub illarum Eccleſiarum advocatis " eſſe volumus. Et ut hoc auctoritatis noſtræ præceptum " firmum & inconvulſum permaneat, hanc chartam con- " ſcribi, annuliqve noſtri impreſſione ſigillari juſſimus, " qvam & manu propria ſubtus firmavimus. Data IV Kal. " Julij, anno Dominicæ Incaraationis CMLXV. Indictione " VIII. anno Domini Ottonis Imperii IV. Regni autem XXX. " Actum Magadeburch in Dei nomine, Amen.

Sed nec ſtatim ſummum imperii jus in univerſam Daniam, nec omnino Jutiam, penes Imperatorem fuiſſe, ſola

immu-

immunitas â prædiorum cenſu ſervitioqve Imperatori debitis, Eccleſiis indulta, evincit; poterat enim Imperator pactionibus in ſingulis provinciis multum agri acqvirere, qvod deinceps ad dotandas Eccleſias erogatum, ſumma ei patronatus jura & primis ejus ſucceſſoribus peperit. Nec tunc in aliis Daniæ partibus plures Epiſcopatus fuiſſe, vel hinc colligitur.

CAP. IX.

Qvo Islandorum traditiones de Haraldo Cærulidente, deqve inſtitutione Chriſtianæ religionis ſub Imperatore Ottone Secundo, expenduntur.

Teſtimonia de Ottone Primo exhibui, ſunt tamen qvi hanc gloriam in Ottonem Secundum conferunt; inter qvos ex Islandis eminet auctor Hiſtoriæ Knytlingorum, cujus verba ex Cap. I. ita ſonant. „A dogum Haralds „Konungs Gormsſunar var Keiſari i Saxlandi Otto hinn „Raudi, hann hafdi ofrid vid Danakonung, ok baud Danum criſtni, enn Dana Konungr hafdi þar uti her i moti, „ok vildi med engu moti vid criſtni taka, Haraldr Konongr „atti micla orroſto vid Otto Keiſara ſudr vid Danavirki, þa „var þar Hacon Jarl af Noregi, med Danakonongi, þa ſeck „Keiſari oſigr, enn þo vann hann landit nockoro ſidarr, ok „kom þeim a flotta Haraldi Konongi ok Hakoni Jarli til „Limafiardar ok allt ut i Marſey, ſidan tok Haraldr vid „criſtni, ok Keiſarin veitti Gudſifiar Sveini ſyni hans, ok „gaf hanom nafn ſitt, ok var hann med þvi skirdr at hann „het Otto Sveinn, var þa alkriſtin Danmork, ok skildiſt Keiſari ei ſyrr vid. Hoc eſt.

Tem-

Tempore Regis Haraldi Gormi filii, in Saxonia fuit" Imperator Otto Rufus. Hic bello impetivit Regem Da-" norum, Danisqve Chriſtianam religionem injunxit. Rex" autem, Danorum arma ei oppoſuit, nec ullo modo in ſa-" cram religionem conſentire voluit. Rex Haraldus Gormi" filius ingens bellum contra Cæſarem auſtrum verſus ad" Danavirkium geſſit. Tunc Danorum Regi Comes Nor-" vegiæ Hacon aſtitit, ſuccubuitqve Cæſar, ſed paulo poſt" regionem expugnavit, Regemqve Haraldum & Comitem" Haconem ad fretum Limafiordum, Marſeyam uſqve, in fu-" gam egit, Deinde Rex Haraldus in Chriſtianam inſtitutio-" nem conſenſit. Imperator autem de ſacro fonte ſuſcepit" filium ejus Svenum, eiqve nomen ſuum impertivit, qvod" ei in baptiſmo aptatum eſt, ita ut Otto Svenus vocaretur." Tunc Dania univerſa Chriſto nomen dedit, neqve enim" Cæſar prius diſceſſit.

Oddus Monachus idem converſionis tempus approbat, in cæteris traditionibus Hiſtoriæ Olafi Tryggvini, de Ottone Tertio, maximam partem ſuffragatur.

Langfedgatal, antea in teſtimonium â nobis allegatum, alio loco Ottoni Rufo, qvi illi Secundus eſt, introductum in Daniam Chriſtianiſmum adſcribit, nullo certo anno determinato.

Annales vetuſtiores, qvos antea citavi, alio loco, Daniam anno CMLXXX ad fidem converſam tradit.

Has Islandorum Antiqvitates ſecutus Theodricus Monachus, hunc eundem Ottonem Secundum Rufum nominat, qvamvis Siffridus preſbyter illud cognomen Ottoni Tertio aſſignet. Albertus Abbas Stadenſis, hæc in ejuſdem Imperatoris tempora refert ad annum nimirum CMLXXIV.

 Fabri-

Fabricius Lib. I. Sax: primam expeditionem in Daniam eum ſuſcepiſſe ad annum eundem, & ſeqventi, omnem rem de finibus & jure veteri, qvo Reges Daniæ imperatoribus obligati erant, tranſegiſſe tradit, cauſamqve adjicit, qvod Haraldus Rex, Henrico Bavaro patrueli ejus de imperio contendenti adhæſerit, & Saxoniam vaſtaverit. Popponis miraculum in præcedentem annum refert. His etiam Pontanus conſentit, dum Haraldum circa annum CMLXXIV Saxoniam, facta excurſione, vaſtaſſe, abactis hinc inde ingentibus prædis, pacemqve deinde cum novo Imperatore feciſſe tradit. Atqve hæc videtur inter cæteras cauſa haut minima, qvæ Ottonem Secundum in Daniam excivit, cum biennio poſt, teſte Ditmaro, munimentum Danavirkium expugnatum eſſet, in apparatu namqve belli anno LXXIV. Imperatorem occupatum intelligo, provocatum excurſionibus Haraldi hoc ipſo anno. Nec aliter Lambertum Scafnaburgenſem aſſeqvor, cum ad annum ſeculi ejus LXXIV notat, perrexiſſe Imperatorem contra Haraldum in Sleswig, verum neqve Haraldum, neqve reliqvam Daniam Chriſti jugo hac expeditione ſubmiſſam, vel Ditmarus tradit, qvi Danici munimenti expugnationem, ad avi ſui tempora refert his verbis.

„Imperator prima expeditione Buſchuth civitatem ce„pit, Danos ſibi rebelles petens, ad Sleſwigh properavit, i„bi etiam hoſtes ſuos foveam, qvæ ad defenſionem patriæ „parata eſt, & portam qvæ Wiegleſdor vocatur, armis præ„occupare videns, conſilio Bernhardi Ducis & avi meimet „Henrici Comitis, omnes has munitiones viriliter exſuperat. Et paucis lineis interjectis, dum in eorum temporum re„latione occupatur. Temporibus his, inqvit, ego natus

„ſum,

ſum, VIII Kal: Auguſti, Menſe Julio, anno vero Dominicæ incarnationis CMLXXVI.

CAP. X.

Qvo Islandorum antiqvitates de Haraldo Cærulidente, deqve inſtitutione Chriſtianæ religionis ſub Imperatore Ottone Tertio, exponuntur.

Expoſui qvæ de Ottonum Primi & Secundi geſtis in Dania ſcripta inveni; reſtat igitur, cum Ottoni Tertio tam ſalutare negotium ſecundum Deum Opt. Max. Hiſtoria Olafi Tryggvini acceptum referat, ut ejus traditiones inſpiciamus. Hæc præmiſſo Imperatorum, a Carolo uſqve Magno ad Henricum Aucupem, Indice, qvem ſeptendecim annos regnaſſe tradit, ad Ottones deſcendit: Qvorum primo, cognomento Magno, triginta octo annos aſſignat. Secundo, qvem Rufi cognomine effert, novem. Tertio, qvem Juvenem dictum perhibet, decem. Hunc votum nuncupaſſe tradit, Danos ſe ad Chriſtianæ religionis profeſſionem, ſi aliter neqviret, continuo ſexennio (triennium habet Oddus Monachus) bello compulſurum. Inde ad Haraldum Cærulidentem miſſis Oratoribus mandaſſe, ut ſe cum ſubjectis provinciis Chriſti jugo ſubmitteret, renuenti, bellum indixiſſe. Qvibus auditis, Haraldus, limitibus ubiqve præſidiis firmatis, valloqve Danavirki dicto (qvod corruptè Danorum opus expoſuerunt ſcriptores, etymologia a verk, qvod opus denotat, petita, cum vallum virki patria lingva dicatur) inſtaurato, Haconi Comiti, delectum militum ê provinciis omnibus, jurisdictioni ſuæ ſubjectis, proximoqve

qve vere copias omnes claſſi impoſitas ad ſe deducendas imperaſſe. Is juſſa Regis magna ſolicitudine executus, ut præceptum eſt, in Daniam exercitum omnem tranſportavit, magnaqve benevolentia â Rege exceptus eſt. Complures alii Principes cum auxiliis ad Regem confluxerunt (nec dubitandum, licet non exprimatur, in his fuiſſe Haraldum Grænskium) Imperator etiam magno ſtudio exercitum ê Saxonia collectum in Daniam eadem æſtate traduxit. Adverſus eum Haraldus proxima æſtate procinctum movit. Ut primum concurrerunt, atrociſſimum prælium utrinqve, non ſine ingenti utriusqve partis clade, majore tamen Imperatoris, per integrum diem ad noctem uſqve geſtum eſt. Inde novis apparatibus conſiliisqve, triduanæ induciæ datæ; qvibus finitis, prælium majori mole redintegratum, Cæſarianorum plures abſumſit, donec adulto die Dani acrius invecti, jam inclinantem hoſtium aciem in fugam vertunt, fugientesqve ad naves perſecuti ſunt. Eo die Imperator ex eqvo Cæſare dignam pugnam edidiſſe memoratur, cumqve fuga amplius ſiſti neqviret, ſuos ad naves præceſſisſe, in auratâ haſtâ capulotenus ſangvine conſperſa, qvam geſſerat, maritimis fluctibus impreſsâ, votum denuo concepiſſe, proximo reditu, vel Daniam ritibus Chriſtianis ſe imbuturum, vel funere ſuo nobilitaturum; qvibus dictis conſcenſis navibus, Saxoniam repetiviſſe, ibiqve hyemem tranſegiſſe, Hacone Comite in Dania apud Regem reliqvum æſtatis remanente, conſiliisqve rem Danicam pro virili ſuſtinente. Reparatum tunc dicitur vallum Danavirkium, qvod poſtea valde decantatum eſt, ſitum inter Sleſvicum & fluentum Ægiſdyram, hodie Eidoram. Vere qvi proxime (Oddo Monacho poſt triennium) ſeqvebatur, Imperator ingentem

gentem exercitum, ê Saxonia, Franconia, Friſia, Vandalia, & Holſatia collectum, in Daniam duxit, comitante ipſo Burisleifo Vandaliæ Rege. Tanto autem apparatu Cæſaris cognito, Haraldus ad Haconem in Norvegiam legationem direxit, qvæ qvanto in periculo verſaretur probè exponeret, nec majoribus auxiliis ſe unqvam indiguiſſe, vel in poſterum magis opus habiturum videri. His auditis Hacon, præſens periculum perſpiciens, centum navibus militem in Daniam devexit, admotisqve ad litora proris, ipſe cum duodecim comitibus Regem adiit, qvi adventu ejus majorem in modum gaviſus, gratias ei impenſe egit, qvod periclitanti ſibi tam liberale auxilium tuliſſet, miſſurum protinus, qvi copias navibus deducerent, ſingulis namqve ductum ejus ſecutis gratias ſe acturum. Aliter ſe res habet, inqvit Hacon, implevi enim pactum, omni robore regni ſemel, ut convenit, tibi ſuccurrendo. Verum hunc tibi exercitum ad arma conciendi nullum jus eſt, niſi conſentiam, me vero cum his duodecim comitibus, ad conſilia, ſubſidia & opera jure tuo uti poteris. Rex: vera qvidem hæc eſſe, polliceri tamen ſibi pro intercedente neceſſitudine, promptiſſima illius auxilia. Illud qvidem, reſpondit Hacon, in poteſtate mea ſitum non eſt: ſubditis ad patriam tantum armis tuendam, non item Daniam, laterum ſuorum objectu, ſed nullo ſuo emolumento, obligatos ſe exiſtimantibus. Regi, qvid præmii loco expoſceret? qværenti, libertatem provinciarum ſibi ſubjectarum ab imperio illius in perpetuum, remiſſionemqve tributorum qvi reſtarent, reſpondit; qvibus negatis, copias omnes domum redituras, ſe vero cum duodecim comitibus, ſecundum pactum remanſurum pollicitus eſt. Rex, inevitabilem neceſſitatem ſubſidiorum ex alia parte,

parte, rigoremqve conditionum propoſitarum ex alia, perpendens, merito illum qvovis homine prudentiorem haberi reſpondit. Hacon tributa obventionesqve ex Norvegia, parum illi, ſubductis auxiliis in Dania protinus morituro, profutura reſpondit. Indigus adminiculi annuit petitis Haraldus, exercitumqve omnem Haconis navibus eduxit, qvo in unum locum congregato, jus ſuum in partem illam Norvegiæ abdicavit, inqve Comitem contulit. Convivio deinde celebrato, Rex copiarum partem maximam navibus impoſuit, adqve Eidoram tranſportavit. Hacon autem exercitum omnem Norvegicum Sleſvicum duxit. Ut vero Imperator Haconem in Dania ſuppetias Regi adverſus ſe ferentem cognovit, uſurus hac occaſione promovendæ religionis, duos Comites in Norvegiam, qvorum nomina Urguthriotus & Brimelsker, ablegavit, ad convertendos ad Chriſtianam puritatem, abſente Comite, indigenas, triginta navium claſſe, armis militibusqve inſtructiſſima, teſte Chronico Norvegico typis impreſſo, qvod tamen nomina eorum omiſit, qvæ Hiſtoria Olafi Tryggvini, & Oddus Monachus retulerunt. Chronica MSS. tam ea qvæ ex Bibliotechâ ædis SS. Trinitatis habeo, utraqve, qvàm exemplar Svedicum, hos Comites non ab Imperatore, ſed ab Haraldo Cærulidente poſtqvam is Chriſtianis ſacris nomen dedit, in Norvegiam ad imperandam eandem religionem miſſos tradunt. Id vero in Vicâ, ubi ipſe regnabat, proceſſiſſe, multosqve ibi luſtrali aqvâ conſecratos fuiſſe; verum poſt exceſſum ejus, filium ipſius Svenum Saxoniam Friſiamqve armatâ manu infeſtâſſe; tandem etiam Angliam: tum verò Norvegos, qvi Chriſtiana ſacra profeſſi fuerant, ad idololatriam relapſos, ſacrificiisqve ut prius, perinde ut in Septentriona-

trionalibus Norvegiæ partibus obtinuit, operatos, qvo uſqve Olafus Triggvinus Rex factus eſt. Interea Haconem, cum copiis Norvegicis vallo Danavirkio defendendo præfectum, Imperator cum omni exercitu oppugnavit. Vallum Hiſtoria Olafi Tryggvini, â Pontano parum diverſa, his verbis deſcribit. Duo, inqvit, ſinus, ab utroqve latere, alter ab occidente, ab oriente alter, terram ſecant, inter intimos horum receſſus Dani fortiſſimum vallum ingentis molis altitudinisqve, ê ſaxis ceſpitibusqve & materia extruxerunt, profunda foſſa lataqve cinctum, (decem orgias altam, totidemqve latam Oddus Monachus refert) portis centum orgiarum intervallo itentidem diſtinctum, ſingulis turris una tresqve pontes adjecti. Pontanus Danos immenſi operis intervallo, curante præcipue Haraldi matre Thyra, (qvæ tunc adhuc ſuperſtes fuerit) ſupra Sleſvicum & Gottorpum inter utrumqve orientis & occidentis mare, octo aut novem circiter milliarium ſpatio, una cum foſſa excitata, Germanos ab irruptionibus clandeſtinis arcuiſſe tradit, fuiſſeqve in hoc aggere extructas turres, vel ſpeculas potius, per intervalla ita diſpoſitas, ut ex iis eminus adventantem hoſtem facile eſſet animadvertere, atqve aditu prohibere, (hodie Danavirkium appellari) ubi ſpatium octo milliarium ſcriptum animadverto, cum tamen, Johanne Coldingenſi teſte, unum non excedat. Vide de his oculatum teſtem, Venerandum Trogillum Arnkeli Operis de Cimbricâ relig. in paganiſmo Part. IV. Cap. II. Sect. VII. p. m. 329. Thyram etiam ſuperſtitem, ex iis, qvæ alibi de eâ annotavi, id temporis minime fuiſſe perpendenti conſtabit: alio fortaſſe tempore, illa ſvadente, excitatum crediderim.

Per ſingulas portas præſidia Hacon diſpoſuit, plures tamen per vallum univerſum diſpoſiti propugnatores, op-

F pugna-

pugnatores ingenti damno afficiebant, tandem etiam cum ingenti ſuorum clade repulerunt. Omiſſa igitur in præſens oppugnatione, Cæſar exercitum ad naves reduxit. Hacon etiam poſt diſceſſum Cæſaris, relictis multis præſidiariorum militum turmis, ad naves converſus, domum meditabatur, ſed detentus vento, in ſinu Limico morabatur. At Cæſar, conſilio procerum ac amicorum convocato, qverelam de Danorum militum duritie, invictaqve fortitudine & inexpúgnabili munimenti Danici firmitate, apud eos deponit, in medium conſulere juſſos, qvid facto opus eſſet. Itaqve variantibus inter ſe ſententiis, cum alii cæptæ oppugnationis continuationem ſvaderent, alii disſvaderent, ipſe Cæſar Daniam fruſtra oppugnatam, ſeqve munitionis propugnaculo abſtinere coactum, graviter ferens, nihilominus voti ſui de tota Dania ad fidem Chriſti convertenda ſervandi cupidiſſimum animum demonſtrabat. Hoc eodem tempore Olaus Tryggvinus, (de qvo in propria Hiſtoria latius) poſt exactam in Vandalia hyemem, Scaniâ eodem vere excurſionibus prædisqve vexata, adqve Gothiam duabus Jamtorum navibus fortiter reſiſtentibus expugnatis & direptis, ipſaqve Gothia exſpoliata, ſex navibus magnis, trecentisqve militibus, Oddo Monacho tradente, Sleſvicum, cognita Imperatoris expeditione, ſoceriqve ſui in partibus Cæſareis præſentia, ſe convertiſſe, Imperatoriqve militaſſe perhibetur. Hic ſententiam noviſſimè rogatus, rationem ſe Danavirkii oppugnandi & expugnandi monſtraturum promiſit, modo ductum ſuum ſeqverentur. Cumqve qvæ comperta afferret, dicere juſſus eſſet, de facibus arido propugnaculi ligno inferendis, conſilium, qvod profuit, in medium proponit: namqve ex virgultis, doliis, ac vaſis pice oblitis,

torri-

torridaqve ſtipularum materia repletis, incendio facto, munimentisqve ligneis admoto, ut proximis propugnaculis injectus ignis adhæſit, extemplo proxima qvæqve & continua amplexus, totis ſe paſſim diſſipavit fortalitiis ac turribus, effuſaqve doliis flamma primo veluti ſparſa, plurimis locis reluxit, deinde per contigua ligna & tigna ſerpens una repente ruina omnia Danavirkii propugnacula hauſit. Tranqvillum tota die cælum exortus repente per veſperam ventus turbavit, procedenteqve ad noctem tempore, per incrementa ſpirans, ignem latè diſſipavit, nec prius ceſſavit, qvam opus univerſum, toto Septentrione celeberrimum, in favillas redactum eſſet. Mox ſubſecuta vis imbris ingens, tanto impetu delapſa, ut homines omnes in caſtra domosqve & tentoria compelleret, ſubitoqve ignem omnem ſcintillasqve cineribus miſtas ita ſopivit, ut tranſitus mane ſeqventis diei tutus omnibus pateret, neqve ulla tanti munimenti veſtigia præter ſola ſaxa extarent, id qvod propitii numinis Danos Noricasqve gentes cœleſti lumine illuſtraturi ſingulari curæ & miraculoſæ providentiæ aſcriptum conſtat. Chronica Norvegica, Imperatorem â Danavirkio irrito conatu receſſiſſe tradunt, nec duobus, ſed uno anno, unica etiam expeditione, omnia geſta perhibent, exercitumqve Imperatoris tunc demum navibus in Jutiam translatum docent, cum expugnatio Danavirkii non proceſſiſſet. Deinde in his, qvæ proximè ſeqvuntur, cum Hiſtoria Olafi Tryggvini conſentiunt. Compendium autem Chronicorum, Imperatorem primo fuſum fugatumqve, deinde poſtqvam Danavirkium miraculoſè expugnatum eſſet, Haraldum ab eo victum refert, cumqve dicta Hiſtoria conſentit. His peractis Imperator trans ſinum Sleſvico adjacentem in Ju-

 tiam

tiam exercitum omnem navibus impoſitum trajecit; qvod ut Haraldo primum innotuit, adverſus eum copias omnes Danicas eduxit. Ibi longo tempore magnis animis viribusqve ab utraqve parte concurſum eſt. Tandem victoria â partibus Imperatoris ſtetit. Haraldus vero ad ſinum Limicum fugiens, navibus in inſulam Marſeyam dictam (Morſingiam hodie vocant) trajecit. Inde ultro citroqve miſſi Oratores, rem eo deduxerunt, ut in ea ipſa inſula, Rex Imperatorqve convenirent, paxqve inter eos componeretur.

Laudata Hiſtoria, Jomſvikenſium, ſeu piratarum Jomicorum, Hiſtoriam inducit, tradentem Epiſcopum, nomine Popponem, Imperatorem in Daniam eo tempore ſecutum, geſtis his interfuiſſe, citat etiam Chronicon, qvod Bremenſe vocat, tres Epiſcopos in Dania ab Adalgago (rectius Adaldago) ordinatos memorans, qvod tamen ipſi cum iiſdem temporibus congruere, qvibus hic Otto (verbis ejus utar, tertium autem intelligit) Danos ad Chriſtianam religionem perduxerit, haud qvaqvam videtur. Patet hinc aliam Hiſtoriam Jomſvikenſium, ab hac, qvam ſeqvimur, diverſam, vel extare, vel certe extitiſſe, nobis incognitam. Illud vero conſtanter ab omnibus affirmari aſſeverat, qvod is Epiſcopus, qvicunqve fuerit, vir ſanctus & admodum diſertus fuerit, ut qvi Regi Divinam potentiam, editamqve â ſeculo miraculorum ſeriem, copioſo ſermone expoſuerit. Ad mittere renuenti, ni fidem conſimili miraculo, Divina virtute perpetrato, faceret, veritatemqve religionis eo confirmaret, qvâ certior, majorum, â primis uſqve ſeculis derivatum Deorum cultum, abdicare, atqve hoc, qvi prædicabatur, unicè ſalutari permutare poſſet; candentis ferri lamina, manu illæſâ, in promiſcui cætus conſpectu, per novem paſſus

portatâ laudati dogmatis integritatem probaverit. Inde Rex cum univerſo populo miraculo motus, inqve aſſenſum religionis & laudes Dei effuſus, ſacra lympha tinctus fuerit. Dum Rex in Marſeyam fuga delatus, conſilia de viribus reparandis agitaret, Comitem Haconem in ſinu Limico, ventos in Norvegiam ferentes exſpectantem, nunciis ad ſuppetias ferendas evocat; qvi impiger voluntati mandatoqve ejus obſeqvens, iter maturat, ſed variis negotiis impeditus, non prius acceſſit, qvam omnibus inter Regem & Imperatorem compoſitis, nova ſacra aſſenſu, & ſalutifero regenerationis lavacro, approbata firmataqve fuerunt, ipſe omnium horum ignarus, nam & Rex id ei aperiri vetabat, ne conſiliorum alio convertendorum ſpatium vel ratio ulla ſuppeteret. Advenientem Rex ad novæ religionis cultum, ſolenneqve luſtralis aqvæ ſacramentum, cum omni, qvod aderat, ſatellitio, invitum adegit, traditqve abeunti præcones verbi Divini, qvi per totam Norvegiam ſalutare dogma prædicarent, propagarentqve, ſacroqve fonte omnes abluerent; qvod cum ſe procuraturum ſpoſpondiſſet, iterum ad fretum Limicum regreſſus eſt.

Dicitur qvidem Imperator Olaſo Tryggvino, oblatum auxilium conſiliumqve, magnas egiſſe gratias, eumqve ſecum in Saxoniam magnis promiſſis invitaſſe. Hic autem provinciarum in Vandalia poſſeſſarum obtentu ſe excuſaſſe, domumqve cum ſocero Burisleiſo rediiſſe. Extat & diſtichon de oda Hallfredi Vandræda ſkaldi, Poëtæ magnæ auctoritatis, qvod perhibet eum ad Heidabæ, auſtrum verſus pugnaſſe.

Daniâ profectum Comitem, jam luſtralibus undis, reluctante mente, corpore impuro ablutum, claſſem ad Hal-

ſem ſtantem repetiviſſe tradunt. Ibi nactum faventem ventum, claſſem portu ſolviſſe. Verum cum iterum exorta adverſa tempeſtate Norvegia prohiberetur, moræ ulterioris in Dania impatientem, omnes ſacri ordinis & Chriſtianæ profeſſionis ſacerdotes in terram expoſuiſſe, erectisqve velis, ad obſeqvium ventorum converſum, fretum Sundicum petiviſſe. Inde utriqve, Scaniæ Selandiæqve litori, infeſtum, ampliſſima ſpolia ex his imperii Danici partibus reportaſſe. Scaniæ deinde latus emenſum, cum ad Oſtrogothiam perveniſſet, incenſa claſſe, terreſtri itinere Gothiam utramqve armato inſtructum agmine, populabundum pervaſiſſe, Ottaremqve Comitem arma opponentem profligaſſe; penetratisqve Gothorum provinciis, in diſtrictum Norvegiæ Vikam ſe infudiſſe. Dum autem Gothiam diriperet, adventus ejus fama Comites Cæſareos Urguthriotum & Brimilskerum, qvi Vikam univerſam eo abſente, uſqve promontorium Lindiſneſiam, dirutis delubris ubiqve ethnicis, purioribus ſacris ubiqve imbuerant, adeo terruiſſe, ut protinus cum univerſa claſſe, qvam abduxerant, novemqve aliis aufugerent. Reſtituta deinde iterum idololatria, multos ſacra lympha ablutos, ejurata Chriſtiana religione ad paganiſmum reduxiſſe. Inde in Thrandiam profectum, provincias omnes jurisdictioni ſuæ â Rege antea commiſſas, liberrimo jure, abſqve ullo tributorum onere, tenuiſſe. Vikam autem ut hoſtile ſolum direptionibus prædisqve deſtinatum vaſtaſſe, qvorum ſingula in annum CMLXXXVIII referunt. His excitum Regem Haraldum, claſſem mille ducentis navibus conſtantem in Norvegiam direxiſſe, tranſgreſſumqve promotorium Lindiſneſiam, provincias obſeqvium tributaqve detrectantes, qvæ Haconis imperio paruerunt, exſpo-

exſpoliaſſe, omni maritima ora penitus deſolata, prædiisqve in favillas redactis, Solundas inſulas uſqve, ita ut qvinqve tantum villæ, in Læradalo, Sogniæ paræcia, incendio ſuperfuerint. Ubi cognito Comitis Haconis, ad Aqvilonare Stadarum latus cum ingenti claſſe exercituqve excubantis, apparatu, propoſuiſſe cum univerſa claſſe Islandiam oppugnare, verum deterritum tantæ expeditionis difficultate, propoſito deſtitiſſe.

Vixiſſe eo tempore in Islandia viros primarios, in orientalis qvadrantis provincia Vopnafiordo, Brodd-Helgium, Septentrionalis, provincia Eyafiordo, Eyolfum, Valgerde matre natum, Gudmundi Potentis patrem, Occidentalis, Breidafiordo, Thordum Gellerem, Auſtralis, Olveſio Thoroddum Curionem. Qvæ hic de proſcripta a Comite Hacone & exſtirpata per Vicam Chriſtiana religione traduntur, etiamſi diſſentire videantur ab iis qvæ Chronici Norvegici bina exemplaria manuſcripta, & Svedica qvoqve editio, in Hiſtoria Olafi Tryggvini Cap. LVIII. pag. 275. habent, conſiſtere tamen poſſunt, cum dilucidius explicentur, Vid. qvæ hoc ipſo Cap. pag. 40. ex dictis Chronicis expoſuimus.

CAP. XI.

Ubi expoſitarum relationum varietas expenditur, oſtenditurqve, Saxoni nihil de religionis negotio per Ottonem Primum in Dania pro moto conſtitiſſe, ſed confuſas Islandorum traditiones ſecutum res ſub Ottone Secundo geſtas deſcripſiſſe. Singulorum errores explanantur, & qvid veritati congruum videatur, arguti lectoris judicio ſubjicitur.

Ex præcedentibus id qvod antea ſtatuimus manifeſtum eſt: Scriptores nempe noſtros, ea, qvæ hucuſqve de fundatione Chriſtianiſmi in Dania ſub Haraldo Cærulidente expoſuimus, in unum tantum Ottonem congeſſiſſe, verum in perſonis diſſenſiſſe. Langfedgatal ſibi non conſtat, prius enim Ottoni Primo id adſcripſerat, deinde Secundo. Idem Annales vetuſtiores faciunt. Knytlingorum Hiſtoria conſtanter Ottoni Secundo, & reliqvi, qvos adduxi, id aſſignant. Olafi autem Tryggvini Hiſtoriæ auctor, qvi Part. I. cap. LXIX Frodium Jutiæ Regem ab Agapeto Pontifice impetraſſe trâdit, ut tres Epiſcopales ſedes in Jutia conſtituerentur, inſtitutosqve Antiſtites exponit anno CMXLVIII, & nihilominus Part. ejuſdem Cap. LXXXIV & LXXXV. Haraldum Cærulidentem ſub Ottone Tertio, anno, ut ex calculo ejus manifeſtum eſt, CMLXXXVIII, opera Popponis converſum, totamqve Daniam poſtea, refert; ſibi ipſi contrarius habendus non eſt: is enim ſibi deſcribendum propoſuit, qvomodo tota Dania ad fidem converſa fuerit, cum per ſeriem Jutiæ Regum, â Gothefrido, (Jutiam enim prius qvam tranſmarinas partes ad profeſſionem illius allectam certo ſibi perſvaſit) & Imperatorum, â Carolo Magno, ad Frodium & Henricum Aucupem perveniſſet, omiſſa, Gormi, & Haraldi Cærulidentis, ſupremorum Regum, mentione, qvo modo Frodius converſus ſit, & Eccleſiæ antea collapſæ per eum reſtitutæ, & poſt viginti circiter annos, ſedes Antiſtitum inſtitutæ fuerint, explicat: ſed ignoravit, Haraldum Cærulidentem Daniæ Regem & filium ejus Svenum tunc, anno ſc. CMXLVIII aut circiter, fuiſſe baptizatos. Ei itaqve Frodium illum, qvem Henrici Aucupis tempore ab Archiepiſcopo Unnone baptizatum antea retulit, debemus, de qvo nec

nec Adamo Brem: nec Helmoldo, nec Abbati Stadenſi, qvicqvam conſtitit. Id tamen Islandi melius noviſſe videntur, ſive ex libris, qvi poſtea interierunt, ſive certioribus relationibus civium ſuorum, qvi tunc in Dania peregrinabantur; inter qvos iſtis temporibus propior Gislius Surinus qvadrantis occidentalis colonus memoratur, qvi Viburgi catechumenus factus, idolorum cultum, in profundis patriæ ſuæ ethniciſmi tenebris, abdicavit, idqve qvadraginta annis anteqvam Chriſtianiſmus inibi publico conſenſu receptus eſt. Ipſe qvoqve Saxo aliqvantulam de hoc eodem Frodio notitiam ex noſtris acqviſiviſſe videtur. In Anglia enim ſolennibus aqvis humectatum, ab Agapeto Pontifice Romano petiviſſe perhibet, Daciam divinitus erudiri. Reliqva autem de Epiſcopis inſtitutis, eorumqve cathedris, ideo tacuit, qvod illum in univerſalium Regum indice poſuit, nec deinceps ejus ætatem cum inſtitutorum Antiſtitum æra conciliare valuit, ideo illum Romanæ legationis nuncium fatis præcurriſſe repoſuit. Mihi tamen plauſibile videtur, eum id qvoqve ab Islandis didiciſſe, ſed ſeqvi non auſim, cum Lib. X. pag. 189. referat, qvatuor Epiſcopos, qvi ſub Sveno primo jam converſo ab Archiepiſcopo Adaldago conſtituti fuerunt, inter qvos Liſdagum Ripis præfectum, (neſcio an ſatis recte) nominat. Mox addit, qvatuor hæc religionis domicilia, externis ſacrorum contenta præſulibus, domeſticæqve prælationis expertia, fortuito magis qvam ſolido Pontificum ordine nixa fuiſſe: cum ergo ſcivit prius fuiſſe inſtituta, qvomodo latere poterat, qvando, & per qvos, cum tantum de Frodio illi cognitum eſſet? Ejus in hoc antichroniſmum in Seriei Regum Daniæ Lib. III. Cap. XVI. pag. 440. notavimus. Hæc utcunqve ſe habeant, ſive Saxo

 novit,

novit. Eccleſias per hunc Frodium Aucupis tempore reſtauratas, & ſub Ottone Primo Epiſcopos introductos, iisqve certa domicilia aſſignata, illudqve diſſimulavit, ſive ignoravit; certum eſt, neqve illum, nec Hiſtoriæ Olafi Tryggvini Scriptorem ſciviſſe Haraldum Regem cum uxore Gunhilde & filio Sveno tunc fuiſſe ſacris undis ablutos, uti id Adamus Brem: Helmoldus & Abbas Stadenſis teſtantur. Id enim factum exiſtimarunt, cum expugnatis Danavirkii munimentis Comes Hacon fidem, ſimulata mente profesſus, eam turpiter deſeruit; Idqve alii pene omnes ſenſerunt, nec aliam Hiſtoriam deſcripſerunt, qvam eorum, qvæ ad Danavirkium, & iſto bello, geſta ſunt. Si enim diverſa tempora ſinguli deſcripſiſſent, certe Haraldus ter baptizatus fuiſſet, poſtqvam ab Unnone luſtrali aqva tinctum Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium in ejus vita tradit; Pugnam autem, cum Danavirkium expugnatum erat, Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis optimè explicat, addito anno, qvo geſta eſt, qvem ſibi natalem profitetur CMLXXVI, nec, licet diverſa â noſtrorum relationibus exponat, pro contrariis ſtatim habenda ſunt. Nec, ut Stephanius in notis ad Lib. X. Saxonis, pag. 201. opinatur, tanta moles, una duntaxat portâ Wigleſdor, ideo clauſa fuiſſe exiſtimanda, qvod illam Imperator armis hoſtes præoccupare viderit, plures enim fuiſſe inde liqvet, qvod omnes illas munitiones viriliter exſuperatas teſtatur. Et qvid obſtat, qvominus incendio conflagraverint, uti noſtri tradunt? nihil enim hic de expugnationis modo traditur. Nec ſi conſilia Ducis Bernhardi & Comitis Henrici hic celebrentur, ſtatim Olafi Tryggvini rationes ſvaſionesqve excluduntur. Hanc igitur ſolam pugnam, tum ab Olafi Tryggvini Hiſtoriæ conditore, tum

etiam

etiam Oddo Monacho, Knytlingorum Vitis, & cæteris pene omnibus exponi, hoc infallibili argumento demonſtro, nimirum qvod Haraldo Cærulidenti, cum Ottone ad Danavirkium belligeranti, Comes Hacon; Ottoni, Olafus Tryggvinus militaverit. Id vero nec ſub Ottone Primo, anno CMXLVIII, aut circiter fieri potuiſſe, per amborum ætatem manifeſtum eſt; Hacone, ſecundum calculum Hiſtoriæ Olafi Tryggvini Part. I. Cap. ultimo, undecimum ætatis annum non excedente, Secundum vero Hiſtoriæ ejuſdem Part. Cap. XXXIV. pag. 31. ſexennio minore, ſuffragante vetuſta Membrana, qvæ Thomas-Skinna appellatur: Olafo, qvocunqve demum calculo, nondum nato. Sed nec ſub Ottone Tertio contra Haraldum militaſſe, cum Haraldus vitam eatenus non extenderit. Nec diverſum ab Islandis Saxonem tradidiſſe, vel hinc manifeſtum eſt, qvod tradat hunc eundem Comitem Haconem, *patriam hæreditariæ penſionis ignominia exuere cupientem*, cum Haraldum, auditis qvæ Cæſar apud Jutiam geſſerat, Germanicis diutulè bellis implicandum ſperaret, palam detrectandæ ſtipis audaciam præbuiſſe, plus ſpei ac fiduciæ ex Saxonicis armis, qvam ſuis viribus cepiſſe. Et paucis interjectis: Comperta Haconis defectione, tanto in Norvegicæ juventutis contumaciam aſperius animadvertendum putaſſe, qvanto eam adverſus ſe cervicem inſolentius extuliſſe cognoverit. His forte Pontanus cum Chronici Norvegici editione Danica collatus, facile animadvertit, Comitis Haconis geſta ad Danavirkium ſecutamqve defectionem non ſine abſurditate anno CMXLVIII, qvo Otto Primus Haraldum Daniæ Regem ſacris Chriſtianorum initiandum curavit, applicari: in ejus igitur locum Haconem Adalſteini alumnum reſtituit, nullo operæ pretio,

 cum

cum ſatis conſtet, neqve ejus, neqve patris ejus tempore Norvegiam Daniæ ulla ex parte fuiſſe tributariam, ut neceſſe fuerit eam debita Danis penſione exuere; cum uterqve liberrimo jure, nemini obnoxii, hic qvoqve ipſis gravis hoſtis regnarit. Crantzius Lib. III. Cap. III. Haraldo Gunnhildis filio defectionem adſcribit, qvem tamen Saxo tunc mortuum fuiſſe tradit, eiqve Haconem ſucceſſiſſe. Verum ſi Saxonis relationes cum Hiſtoria Olafi Tryggvini conferantur, mirum qvam omnia cohæreant: nam & ibi traditur, Saxonicorum armorum metu libertatem Regi extorſiſſe, mox defeciſſe, ſecutamqve vindictam. Jam vero monſtratum eſt, neqve expeditioni Ottonis Primi, nec Tertii (anno videlicet CMLXXXVIII) Haraldum Cærulidentem & Comitem Haconem ſimul intereſſe potuiſſe. Reſtat igitur, ut eam qvam Ditmarus deſcripſit, annumqve eundem, tum noſtrates, tum etiam Saxo intellexerint, ad eumqve converſionem Regis Haraldi ad Chriſtianam pietatem retulerit. Addit enim qvod rebus cum Imperatore compoſitis, conſortium catholicæ religionis amplexus, Divinam humanamqve pacem regno ſuo conciliaverit. Nec in narrationis contextu longe â noſtris abiit; nam, dum tradit, Imperatorem fugæ ſimillimum reditum habuiſſe, utqve impetu gravem, ita exitu vanum apparuiſſe, prioris anni eventum intellexit. Cauſas autem, cur Scriptor Hiſtoriæ Olafi Tryggvini hæc in Ottonis Tertii tempora, annumqve CMLXXXVIII tranſtulerit, agnoſco; primam, qvod Olafum Tryggvinum anno CMLXIX natum, ex communi traditione acceperit, qvem tamen in expugnando Danavirkio, magnam operam præſtitiſſe in confeſſo erat; qvod cum anno CMLXXVI conſiſtere non poterat, cum ſexennium

non

non exceſſerit, in Ottonis Tertii tempora ſingula melius qvadrare viſa ſunt, annumqve CMLXXXVIII ætatisqve ejus decimum nonum. Alteram; qvod pariter in confeſſo erat, Comitem Haconem, ab Rege Haraldo ad ſuppetias adverſus Imperatorem Ottonem evocatum fuiſſe, anno decimo tertio a morte Haraldi Grafeldi, & initio præfecturæ ſuæ; annum autem Grafeldo fatalem variè computarunt. Alii enim imperio ejus novem, alii duodecim, alii qvindecim annos tribuerunt, qvos â morte Haconis Adalſteini alumni numerarunt, qvem alii anno CMLX, alii anno poſterius, deceſſiſſe, ſtatuunt, ita ut cæſus fuerit Grafeldus vel anno CMLXIX, vel CMLXXII, vel deniqve CMLXXV. Inde tredecim annos ad illum, qvo â Cærulidente evocatus erat, numerant, qvi deſinunt vel in CMLXXXII vel CMLXXXV. vel CMLXXXVIII; ultimus & penultimus non qvadrant, nam alter ſecundum Annales Haraldo fatalis erat, qvo non cum Ottonum ullo, ſed cum filio conflixit: alterum non attigit; is enim Archiepiſcopo Adaldago extremus erat, qvem tamen Haraldus fato prævertit; primus in annum CMLXXXII deſinit, nec ad Ottonem Tertium pertingit, cum Ottonis Secundi tempora non excedat, verum ſemel tantum ille bella cum Danis geſſit, & qvidem illo tempore, qvo Danavirkium diruit. Male igitur expugnatio Danavirkii in Ottonis Tertii tempora refertur, & per conſeqvens tredecim illi præfecturæ anni, ab effictis his Grafeldi fatalibus, imperite ducuntur. Fictionis autem iſtius cauſam præbuit ingens in periodo regni Haconis Adalſteini alumni annis incogitantia, cui alii viginti qvinqve, alii viginti ſex tribuerunt, â morte Eirici Blodoxii, qvem uno, alii duobus, annis regnaſſe ſtatuunt; nos duos admittimus. Succeſſit ergo fratri ſuo

 Blo-

Blodoxio anno CMXXXV, & ille patri ſuo Haraldo Pulchricomo CMXXXIII. Interceſſerunt itaqve inter fatalem Pulchricomi annum, & expugnationem Danavirkii qvadraginta tres anni. Jam vero Haraldus Grafeldus qvatuordecim annis ante illam expugnationem cæſus eſt, anno nimirum CMLXII, id qvod infallibili auctoritate in Hiſtoria Norvegica probavimus; qvem deinde cum anno Comiti Sigurdo, qvi pater erat Comitis Haconis, fatali confuderunt, a nimia regni periodo, eidem Regi imprudenter aſſignata ſeducti, cum perſvaſi eſſent, eum anno CMLX exſpiraſſe. Biennio inde Comitem Sigurdum incendio deletum, qvi in hunc eundem ſexageſimum ſecundum qvadrat. Inde tredecim ſucceſſionis ejus annos â morte patris numerantes, in annum CMLXXV. deduxerunt, univerſos cæde Grafeldi concluſerunt, eamqve cum anno, qvo ab Haraldo Cærulidente excitus erat, confuderunt, inqve eadem hæreſi Saxonem fuiſſe, inde facile evincitur, qvod mortem Haraldi Gunnhildis filii (puta Grafeldi) cum expeditione Ottonis & defectione Haconis conjunxerit, qvibus converſionem Regis Haraldi ad Chriſtianam fidem, ut dictum eſt, conjungit. Verum cum Oddus Monachus diſertis verbis, utet Compendium Chronicorum teſtentur, qvod decimo tertio â præfecturæ ſuæ, non â morte patris, anno, Comes Hacon contra Imperatorem Ottonem â Rege Haraldo evocatus fuerit, idqve plures alii per conſeqventias teſtentur, annoqve poſteriore Danavirkium expugnatum fuerit, clarum eſt Haraldum Grafeldum anno CMLXII cæſum fuiſſe, Olafum autem Tryggvinum ſexennio ante ejus cædem natum Scriptores teſtantur, ita ut natus ſit anno CMLVI, vicenarius cum Otto Secundus poſterius Haraldo bellum movit,

movit, atqve ideo pugnæ ſatis idoneus. Ne vero annu CMLXXXVIII converſioni Regis Haraldi aſſignatus, abſurdi convicerentur, vitam ejus ad annum CMXCIII auctor Hiſtoriæ Olafi Tryggvini duobus locis extendit, qvæ Cap. XVII infra allegabimus, qvæ tamen ipſe ſibi contrarius deinde evertit, uti ibidem pluribus demonſtratur. Id ſolum hic ſufficiet memorare; neqvaqvam cohærere, Svenum poſt mortem patris, iſti anno admotam, proximo vere captivum â Sigvaldo Jomsburgum deductum, iterumqve dimiſſum, deinde convivium exeqviale patri celebraſſe, & nihilominus, in Angliam anno CMXXXIV feſto Divæ Virginis cum infeſta claſſe penetraſſe: ut cætera omittam, qvæ de geſtis Palnatochii poſt mortem Haraldi referuntur ſibi repugnantia. His cum evicerimus, Saxonem geſta Regis Haraldi cum Ottone Secundo, Islandos ſecutum, deſcripſiſſe, non tamen inficiabor, qvædam cum Primi Ottonis rebus eum confudiſſe. Ut frett Otteſundi nomen omittam, cum neſciam an ab hoc, an a patre ipſius id nomen acceperit, certe poſt hujus poſterioris egreſſum, Danorum illud hexamilium excitatum non videtur, ſed forte poſt prioris Ottonis reditum in Saxoniam, qvod vix ſatis cum ætate Thyræ conciliatur, qvæ tunc ad octogeſimum tertium annum provecta videtur, imo & longe ultra, ſi, ut Illuſtriſſ. Hvitfeldius Chron. Dan. Part. I. pag. m. 49. teſtatur, anno CMLX illa jam tum viva, exſtructum eſt, nec tamen ipſi hanc gloriam temerè derogabo, qvam grata poſteritas ei magno conſenſu a majoribus traditam attribuit. Dn. Trogillus Arnkeli hanc reparationem, non ut Hvitfeldius opinatur, ad annum CMLX, ſed ad annum CMXLVIII referendam putat, ſcil. cum Ottho Primus bellum Haraldo movit; id qvod etiam conſiſteret, ſi ali-

ſi aliqvot annos de imminente ſibi ab eô bello certior fuiſſet, verum ſi id inexpectatô evenit, exemplô forte cautior poſt reditum ejus in Germaniam illud molitus fuerit: Nunc compendio qvæ pluribus diſſeruimus, complectar.

Ex his qvæ hactenus dicta ſunt, perſpicuum eſt: Ottonis Primi tempore, & qvidem annis jam allegatis, & Haraldum & Svenum baptizatos fuiſſe, & totam Daniam ſacris Chriſtianis initiatam, Epiſcoposqve introductos, iisqve ſedes in Jutia attributas, miniſterio Frodii Regis Haraldi fiduciarii, ad id, ut videtur, peculiariter delecti. Sub eodem Haraldo enatam poſtea hæreſin de Chriſti potentia, & pluribus Diis colendis, candentis ferri examine, per presbyterum Popponem, præſente Rege, deciſam, & tunc fidem, qvæ prius recepta erat, confirmatam, ex Vitichindo Monacho diſcimus, qvi utrumqve virtutibus Ottonis Primi adſcripſit; cujus induſtria in illis regionibus Eccleſiæ Sacerdotumqve Ordines in tantum fulſiſſe atteſtatur. An vero Imperatore præſente id miraculum editum ſit, inde colligi neqvit, qvod idem auctor ſcribat, qvod Imperator hoc audito eum ad ſe vocaverit, & ſacerdotali honore ſublimaverit, nam id per nuncium aut epiſtolam fieri poterat. Certe Chronologi hæc, â tempore inſtitutæ religionis ſegregant. Radulfus de Diceto in Abbrevitationibus Chronicorum, annum editi miraculi exprimit CMLXX. Fabricius CMLXXIII, Alberto autem Stadenſi ſeptuageſimus qvartus habetur. His temporibus proximus Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis, etſi de anno taceat, tamen ſubſcribit, dum Lib. II. tradit, contemtam ſub Haraldo Chriſtianitatem, per Popponem presbyterum renovatam (non inſtitutam) Plenariè Daniam tunc fidem recepiſſe: addit de ſuo, ad Adamum Bremenſem

Helmol-

Helmoldus Lib. I. Cap. IX. Plures certe ejuſdem nominis conſortes, (Poppones) fuiſſe conſtat, ex qvibus nunc uni, nunc alteri idem miraculum poſteritas attribuit, nominis communione decepta. Adamus Bremenſis ſub Herico (Eirico) Sveciæ Rege, cum is Dania potiretur, ſemel iterumqve factum tradit, ſed Vitichindi auctoritas omni exceptione major mihi videtur, utpote qvi eodem tempore vixit, mortuus, ut perhibent, anno CMLXXXIII. Ottonis Secundi conatus, de convertenda Norvegia ad Chriſtianam puritatem per duos illos Comites, qvos illuc miſiſſe perhibetur, laudem certe magnam & pietatis gloriam meretur; in Dania autem ad eam rem nihil contulit, jam inſtituta ea edoctâ, niſi qvod Comitem Haconem ad profeſſionem illam una cum Rege Haraldo invitum adegit, majori Regis damno, & gentis Norvegicæ pernicie. Hac enim ſola cauſa irritatum, ab obſeqvio defeciſſe, mihi magis probatur, qvam expreſſiſſe â Rege, iniqvo tempore, in indignas conditiones conſenſum, & nihilo ſecius poſtea, prope inermem, auſum eum Marſeyam uſqve accedere, ſeqve ejus arbitrio, qvem tam acerbè antea offenderat, committere, re deinde integra, noviſſimis pactis nihil immutatis, nullis conditionibus retractatis, liberum, adeoqve ſui juris, cum tota gente dimiſſum. Sic Ottonum Primi & Secundi geſta perpendimus. Tertium Adamus Bremenſis Lib. II. Cap XIX, bella qvoqve cum Danis geſſiſſe innuit, nam illos inter devictas ab eo gentes recenſet; noſtri qvoqve Scriptores Svenum poſt patris mortem Saxones bello laceſſiviſſe tradunt. In immunitatibus Eccleſiis conferendis, progreſſum forte religionis promovit, ut id ex privilegio Eccleſiæ Otonienſi in Fionia dato, Wildhuſen XV. Cal. Aprilis; anno aliis CMLXXXVII

aliis CMLXXXVIII. apparet. Sed in inſtituendo Chriſtianiſmo, jam fundato, ullam operam impendi neceſſarium non erat.

CAP. XII.

Antiqvitatum Islandicarum relationes, de celeberrimo Vandaliæ oppido, ipſis Jomsburgo appellato, aliis Julino: nominis origo expenditur, & an idem ſit cum Jumenta vel Wineta: cujus auſpiciis ædificatum fuerit, diſqviritur, & qvo tempore: portus deſcriptio; variæ viciſſitudines, excidium.

Hiſtoria Olafi Tryggvini, Part. I. Cap. CXXXII, nomen urbi â provincia, in qva ſita erat, Jom dicta provenisſe teſtatur. Adamo Bremenſi Editionis Welleianæ Lib. II. Cap. XIII. Jumne, Alberto Stadenſi Jumme, Helmoldo Chronici Slavici Lib. I. Cap. XV. Wineta, Jumneta habet exemplar qvo uſus eſt Stephanius, teſte Henrico Ernſtio, commentario in auctoris anonymi genealogiàm aliqvot Regum Daniæ. Eandem provinciam procul dubio intellexit Saxo Hiſt. Danicæ Lib. VIII, ubi inter athletas Regis Haraldi Hilditannis, Tokium Jumenſi provincia ortum memorat. Neſcio an & Ymicam regionem, paucis verſibus interjectis eandem ſtatuit. Nec magis mihi liqvet, an Adamus Brem. in fine deſcriptionum provinciarum Daniæ, capitisqve CCXXVIII per Juminem Slavorum provinciam, hanc ipſam monſtret, Bircam enim in medio Sveoniæ poſitam, contra civitatem Slavorum oppoſitam Juminem reſpicere tradit. Svenoni Aggonis, vetuſtiſſimo Danorum Hiſtorico, Cap. IV. de Haraldo Blatand Hynnisburg appellatur,

tur: pro Hynnisburg, qvod librarii culpa procul dubio irrepſit, Hymsburg reponendum exiſtimo, qvod Dialecto Danica cum Islandorum Jomsburg convenit. Illis enim ſolenne eſt horum O in Y tranſmutare. Exempla ſunt infinita, ex qvibus pauca exponam: þiofr Islandis, Danis tyf; þior taurus, Danis tyr; ſkiota ſagittare, Danis Skyde; niota frui Danis nyde; provincia Jutiæ Islandis þioda, Danis Ty; lios lux, Danis lys vel lius; þiodrekr nomen viri antiqvitus proprium, Danis Didric: ſic Jomsborg in Hymburg tranſiit, & demta aſpiratione Ymsburg. Hæc enim aliis nominibus additur, aliis demitur. Eiricus Sveciæ Rex Adamo Bremenſi Lib. II. Cap. XXVIII Hericus appellatur. Ingi Rex Norvegiæ Chronico Manniæ ad annum MCXLII Hingi appellatur. Sæpe etiam Islandi vocabulis aſpirationem Danis omiſſam præfigunt, Rorecum illi Hrærecum, Rolfum Hrolfum appellant. An vero idem Sveno Aggonis Winninghæ nomine hanc eandem urbem poſtea intelligat, non decido. Ibi Slavis cum Rege Sveno captivitate liberando, actum tradit:

An Wineta, Jumneta, & Julinum, una eademqve urbs fuerit?

David Cythræus, in proæmio Metropolis, Scriptores qvoſdam Monachos, unam eſſe, ſed duplici nomine, paralogizaſſe perhibet, fuiſſe tamen duas urbes magnas, diverſo loco poſitas, Julinum in Inſula, dem vollinsken Werder. Winetham in alia Inſula, qvam Svenus & Panus fluvii, die Schvine und Peene, ſinus lacus recentis, & mare Balthicum, das Landt zu Uſedom conficiunt, idqve inſpectione Conſulis Treptovii ad Regam Johannis Lubechii probat, qvo Lectorem remittimus. Nec expugnatam ſed aqvis abſorptam,

apparereqve illius rudera ſat manifeſta cum mare tranqvillum eſt, aſſentientemqve habet Johannem Micrælium Pomeraniæ Lib. II. Cap. XXV. Crantius autem Lib. II. Cap. XX Caroli Magni tempore, ab Haraldo, neſcio qvo, Sveciæ, & Hemmingo Daniæ, Regibus, ſolo æqvatam perhibet; atqve ita nomine, ſitu, fatoqve, a Julino diverſa eſt. Jam vero Helmoldus Chronici Slavici Lib. I. Cap. XV. eandem urbem, qvam Adamus Bremenſis Julinum appellat, qvò Haraldum Cærulidentem Daniæ Regem bello ſaucium confugiſſe, ibiqve obiiſſe tradit, Winetham ſeu Jumnetam interpretatur, Stephanius qvoqve notis ad Svenonis Aggonis Cap. IV. de Hynnisborg, qvam ſe ab Archiepiſcopo Abſalone ſolo æqvatam vidiſſe teſtatus eſt, non aliam qvam Julinum intelligi perhibet, idqve auctoritate Saxonis ſtabilit, qvi Lib. IV. oppidum illud juſſu Valdemari Primi, accurante Abſalone, ter incendio conſumtum refert. Sebaſtianus Munſterus id circa annum MCLXX factum perhibet, cui Crantzius Vandaliæ Lib. V. Cap. XXXIII ſuffragatur. Ex qvibus qvid aliud concludi poſſit, non aſſeqvor, qvam Julinum, qvod longe poſt Winethæ interitum exſtructum eſt, Winethæ qvoqve nomine ornatum, memoriam ejus conſervaſſe, duobusqve nominibus, ut Monachi ſupra memorati colligebant, inſignitum fuiſſe; ſicut hodie celeberrimam Hungariæ metropolin Budam & Offen appellatam novimus.

De origine urbis Auctores variant; Nonnulli rerum Vandalicarum Scriptores, â Julio Cæſare conditam volunt, qvorum Opinionem Krantzius Lib. II. Cap. XXXVIII ſolide refutat. Haraldi Cærulidentis, Daniæ Regis, auſpiciis, Scriptorum teſtimonia, mox adducenda, ædificatam, præter

ter ſolum Hiſtoriæ Olafi Tryggvini Scriptorem, docent, qvi tamen imprudens primordia ejus in illius tempora referenda computantibus ſuggerit. Scribit enim Hiſtoriæ Part. I. a Cap. CXXX ad Cap. CXXXIII eam qvadriennio poſt cædem Haraldi a Palnatochio ad præſidium Vandaliæ, Rege Burisleifo paciſcente, conditam. Verum ſibi minime conſtans, Palnatochium poſt qvindecimum deinde annum mortuum indicat. Eum autem poſt annum CMXCI mori potuiſſe, ſucceſſoris Sigvaldi geſta non permittunt. Anno enim poſteriore Regem Svenum, aſtu pluſqvam vulpino, in Vandaliam avexit, idqve anno CMXCII, ſeqventi convivium exeqviale Comiti Strutharaldo celebratum, qvi eſt nonageſimus tertius, inde initio nonageſimi qvarti bellum Jomicum in Norvegia geſtum. Jam vero anno qvo Palnatokius obivit, nepotem ejus Vagnum, qvindecim annos natum tradit, qvem tamen ante conditam hanc urbem naſci non potuiſſe ipſe monſtrat, cum tradat Regem Svenum poſt exceſſum Palnatokii ê Dania, qvi anno prius contigit, qvam urbem conderet, procuraſſe patri ejus Akio matris ejus nuptias. Id poterat ſerius fieri: In gratiam tamen Scriptoris, id eodem anno factum concedam, certe ſimul & ille mihi concedat, anno ſeqvente eum, nec prius, naſci potuiſſe, id eſt qvarto poſt exceſſum Regis Haraldi anno. Ab anno igitur CMXCI Palnatokio fatali, ætas Vagni ſubducta, nativitatem ejus in annum CMLXXVI rejicit, qvo tempore Rex Haraldus cum Ottone Secundo pugnavit. Si igitur illo anno Jomsburgum fundatum eſt, Haraldi non Sveni tempore id factum eſt. Atqve ita hujus Scriptoris auctoritas, in hac traditione, nullo impellente ruit: Chronici Norvegici editio Danica, licet de fundatione urbis nihil tradat,

Palnadochium tamen tuendo imperio Vandaliæ â Burislei-ſo præfectum memorat: Dum autem cædem Regis Haraldi anno CMXCII aut ſeqventi falſò applicat, eo ipſo urbem vivo Haraldo conditam tacite confitetur. Id qvod etiam ipſe Snorrius confirmat, Palnatochium contra Haraldum Sveno adhærentem piratis Jomicis accenſens.

Accedit Adamus Bremenſis, dum Lib. II. Cap. XVIII ſcribit, Haraldum vulneratum ex acie fugientem ad civitatem Slavorum, qvæ Julinum dicitur, elapſum fuiſſe, cui Helmoldus loco prius citato ſuffragatur. Julinum Winetham ſeu Jumnetam interpretatus. Adſtipulatur his Eyrbyggia, ſeu Eyrbyggenſium, in Occidentali Islandiæ qvadrante, Hiſtoria, in Biorno Bredvikingorum athleta. Eum namqve Jomſvikingorum collegio inſertum, cum Palnatokius urbi præfectus eſſet, ibidem manſiſſe cum Styrbiornus Robuſtus Speciæ athleta eam expugnavit, interfuiſſe bello Fyrisvallenſi inter Jomicos piratas, cum is præſente Rege Haraldo Sveciam invaderet, perhibet.

Hæc certe teſtimonia ſuffecerint ad probandum tempore Regis Haraldi exſtructum fuiſſe oppidum, de qvo nobis ſermo; alia tamen afferam, qvæ teſtantur ipſius auſpiciis illud fuiſſe ædificatum. Agmen ducit Knytlinga ſaga, qvæ in ipſo limine exactius his verbis hæc exponit.

„Haraldr Gormſon var tekin til Konongs i Danmork „eptir fodur ſinn, hann var rikr Konongr, oc her madr mi„kill, hann eignadiz Hollſetaland i Saxlandi, oc hafdi hann „mikit Jarls Riki i Vindlandi, hann let þar gora Jomsborg, „oc ſetti þar herlid mikit, hann ſetti þeim mala oc rett, enn „þeir unnu landit undir hann, a ſumrum lagu þeir i herna„di, enn ſatu heima a vetrum, þeir voro kalladir Joms vi„kingar.

kingar. Hoc eſt. Haraldus Gormi filius, Regno Daniæ, " in locum patris præfectus eſt: fuit Rex potens, & Magnus" bellator: Holſatiam Saxoniæ adeptus eſt, amplumqve in " Vindlandia (Vandalia) comitatum tenuit, ibi Jomsburgum " ædificari curavit, magnoqve militum præſidio ſepſit, qvi-" bus ſtipendia juraqve dabat, illi vero, provincias regni in" obſeqvium ejus redegerunt, æſtivis armorum terrorem cir-" cumferentes, hibernis autem temporibus domi acqvieſce-" bant. Iſti milites Jomsvikingi ſeu Jomici piratæ nuncupa-" bantur. "

Fagrskinna qvoqve, ſeu Compendium Chronicorum, " auſpiciis Haraldi Cærulidentis Daniæ Regis ædificatam tra-dit, cujus verba ita ſonant. Haraldr Gormſon heriadi a " Vindland, oc let gera borg micla, þa er heitir at nafni Jo-" me, oc er ſu borg callad ſi þann Jomsborg, þar ſetti hann " ivir hofdingia, oc for ſi alfr heim til Danmarcar. var þa " ufridr micill lengi millum Vinda oc Dana, oc heriadu " hvarirtveggiu i annarra land. Enn a ovanverdum dagum" Haraldz Gormsſunar, ſetti hann ivir Jomsborg Sigvallda " ſun Strut-Harallz Jarls, oc gaf Dana Konongr Sigvallda " Jarls nafn, þa foru margir hofdingiar af Danmorku til " Jomsborgar, þorkell Have brodir Sigvallda Jarls, Bui Di-" gri, oc Sigurdr Hviti brodir hans; Vagn Akaſun, hann " var Syſtr ſun Bua. Jomsvikingar unnu mikit af riki Bu-" rizleifs Konungs er þa red firir Vindlande. Hoc eſt. " Haraldus Gormi filius, Vindlandiam (Wandaliam) bello " inqvietavit, civitatemqve magnam ibi ſtatuendam curavit, " in loco qvi dicitur Jom, inde oppidum, poſtea Jomsborg " (Jomsburgum) dictum eſt, ibi præfectos conſtituit, ipſe " deinde in Daniam rediit, longa inde bella inter Vandalos " & Da-"

„& Danos, utrisqve invicem ditiones infeſtantibus. Seneſcentibus autem Haraldi Gormii annis, Jomsburgo præfecit Sigvaldium Comitis Strut-Haraldi filium, cui etiam Comitis titulum adjecit. Tunc multi Principes ê Dania Jomsburgum ſe contulerunt, nimirum Thorkell Procerus, Comitis Sigvaldii frater, Bujus Craſſus, & Sigurdus Hvitius, (albus), & Vagnus Akinus, is erat ſororis Buii filius: Jomſvikingi regni Burisleifi, qvi tunc Vindlandiæ Rex erat, magnam partem ſibi ſubjecerunt.

Sveno Aggonis, compendioſæ Hiſtoriæ Daniæ Regum Cap. IV pulſum regno â plebe Haraldum, ad Sclaviam uſqve profugiſſe, ibiqve pace impetrata, primum urbem fundaſſe dicit qvæ Hynnisburg nuncupatur, cujus mænia ab Archipræſule Abſalone ſe ſolo æqvari conſpexiſſe; exulante autem patre, filium Svenonem Tiugeſkeg, in regno ſurrogatum tradit.

Portum urbis Hiſtoria Olafi Tryggvini Part. I. Cap. CXXXII his verbis deſcribit. „Þa lætr Palnatoki gera borg „eina mikla, þat var Sæborg, hardla vid oc ramgor, ſu var „kollud Jomsborg, þar let hann gora hofn up i borgina „þ a er leggia matti i CCC lang ſkipa oc varo þar dyr a, „enn yfir dyrum var Steinbogi, oc matti þar draga up oc „nidr. oc var jarnhurd fyrir dyrum, enn kaſtali var þar „yfir ſteinboganum. oc þar i valslongr, oc matti þar læſa inni oll ſkip, ſu borg var geor a ſæ ut, oc var hun af „þvi kollud Sæborg, oc þvi var hofnin innanborgar. Hoc „eſt. Tunc Palnatokius magnam urbem condendam curavit ſupra mare, admodum latam & robuſtam, qvæ Jomsburg appellata eſt. Intra urbem portum conſtitui fecit, „ubi trecentæ longæ naves ſtativa habere potuerunt, porta

„ibi,

ibi, & ſupra illam arcus lapideus, ubi ferrea janua (fors" cataracta) demitti allevariqve poterat. Caſtellum autem" ſupra arcum lapideum: ibi balliſtæ: omnes naves includi" poterant. Illa urbs ſupra mare ædificata erat, atqve in-" de Sæborg, ſeu maris urbs appellata. Hinc portus in-" tra oppidum ſitus erat. Hæc ad verbum, omnis nitoris" ſecurus, reddidi.

Ex his, qvæ jam expoſuimus, perſpicuum eſt, & Haraldi Cærulidentis tempore, & ejus juſſu auſpiciisqve Jomsburgum ædificatum eſſe, forte opera Palnatokii, & qvidem, teſte Svenone Aggonis, dum devictus prælio cum filio geſto pater apud Slavos exularet, id vero qvô tempore contigerit, annus ætatis Sveni octodecimus aliqvantum indicat; tunc enim Hiſtoria Olafi Tryggvini eum cum patre conflixiſſe tradit. Verum cum ex aliis Scriptoribus conſtet, duobus diſtinctis vicibus id factum eſſe, & reconciliationem interveniſſe, planum eſt, poſt primum conflictum urbem fuiſſe conditam. Hinc Annalium Codicis Flateyenſis diſſenſus conciliandus. Initium enim regni Sveni in annum CMLVIII conjiciunt, exceſſum autem Haraldi in CMLXXXV. De illo initio agit, cum primo expulſo patre regnum invaſit; id ſi hoc anno factum eſt, eodemqve pax inter eos compoſita, in hunc qvoqve fundatio Jomsburgi referenda eſt, Sveniqve nativitas in annum CMXL. Varias autem viciſſitudines urbs hæc experta eſt: primo enim ab Haraldo in Burisleifi Vandaliæ Regis poſſeſſionem, neſcio qva de cauſa, translata, Palnatokio regenda traditur: tunc qvoqve leges ab illo latæ, cum ædificationis primordiis confunduntur, qvarum ſcopum nos in Hiſtoria Rerum Norvegicarum expoſuimus. Inter annos CMLXXX &

CMLXXXIV â Styrbiorno Sveciæ Principe expugnata, poſt ejus cædem â Burisleiſo ipſi Palnatokio reſtituitur. Knuto Magno, Daniæ Angliæqve Rege, Sveni ejus ex Alfifa filii regimini committitur. Anno MXLV â Magno cognomento Bono, Norvegiæ primo, deinde & Daniæ, utriusqve ſimul Rege, vaſtata & incenſa eſt. Ab Eirico deinde, Bono qvoqve dicto, Daniæ Rege, prædura obſidione cincta, adeo ut piratas Danicos, qvibus receptum præſtiterunt, dedere, obſidiumqve pecunia redimere cogerentur. Poſtea à Rege Nicolao ejus fratre expugnata, teſte Saxone Lib. XIII. pag. 235. Tandem â Rege Valdemaro Primo incenſa, & ſolo æqvata. Idqve anno MCLXX. Urbs ad tantam potentiam provecta, ut incurſantes Norvegiam illius piratas, Comes Hacon præ cunctis Regibus formidaret. Nos qvantum de iis nobis conſtat, in Hiſtoria Norvegica executi ſumus.

CAP. XIII.

De Gullharaldo, ſeu Haraldo aureo, Knuti Danaaſt, Haraldi Cærulidentis fratris filio, ab Hacone Hladarum Comite aſtu circumvento, & permiſſu Regis patrui oppreſſo, deq; Norvegia in poteſtatem redacta.

Cum prius â nobis relatum ſit, qvomodo Comes Hacon ab obſeqvio Daniæ Regis defecerit, par eſt, ut explicemus, qva occaſione & qvibus artibus Rex ipſe imperium in Norvegiam, & jus in ipſum Comitem, acqviſiverit; id vero ita ſe habet.

Knu-

Knutus Dana aſt, filium reliqviſſe traditur, de avi materni nomine Haraldum dictum. Hic ut primum adolevit, ſtudiis piraticis deditus, aſſiduis latrociniis orientales terras incurſabat, qveis tantam opum auriqve vim conſecutus eſt, ut ei inde Gullharaldi, ſeu Haraldi aurei nomen obvenerit, æſtiva hæc exercitia hybernis in aula patrui otiis relaxare ſolebat. Annus erat, noſtro calculo, ſexageſimus primus ſupra nongenteſimum, cum ipſo ibidem hybernante Comes Thrandenſis Hacon, ab Haraldo Grafeldo, ejusqve fratribus, jam dudum crebris Regis Haraldi auxiliis, ad Norvegiæ ſceptra, ſed occaſione cædis Haçonis Adalſteini alumni provectis, ſuâ ditione pulſus, ibidem qvoqve magna Regis gratia acqviſitâ hyemem tranſegit, profundi conſilii Princeps, & animi intrepidi. Hic dum omnes vias circumſpicit, qvibus in paternam reſtitui poſſit hæreditatem, haut proniorem aliam invenit, qvam ut potentiſſimum Regem, cujus gratia hoſtes emerſerunt, ſibi qvam enixiſſime conciliaret, ut ejus Majeſtatis reverentia adverſarios aut ſibi minus formidandos redderet, aut, favore Regis in ſe verſo, ipſos exturbaret. Jamqve commoda ſe, ſed inſperata, cogitata exeqvendi occaſio exhibebat, cum Aureus ille Haraldus, longi latrocinii, improviſis periculis obſiti, pertæſus, partem dimediam regni, hæreditariam patris portionem â patruo repetere certus, ipſum de tanti poſtulati eventu conſulit. Ille, materiam ſuis rebus promovendis apprimè utilem animo percipiens, Regem vix obnixurum reſpondit, cùm nihil præter jus & æqvum poſtularetur; ſed nec ipſum obtenturum niſi experiretur. His acqvieſcens Gull-Haraldus, partitionem regni, multis procerum præſentibus, poſtulat. Rex majorem in modum excandeſcens, temerita-

tem mirabatur. Tanta ſpe dejectus Gullharaldus, nec jam irritato Rege ſatis tutus, iterum Comitem conſulit, profeſſus ſe etiam vel cæde Regia, ſua manu peragenda, extorturum, ni aliter impetraret. Comes, cavendum ne hoc cum ullo communicaret, monuit, cæteroqvin præcipiti vitæ periculo ſe implicaturum, reputaret potius vires ſuas, nec ultra eas qvicqvam aggrederetur. His monitis inſtructus Gullharaldus diſceſſit. Jam qvoqve Rex de tantæ rei eventu ſolicitus, Comitem, (qvi diutius lecto affixus, morbum vel omnino, vel majorem qvam erat, & diuturniorem ſimulavit,) acceſſit, eiqve rem omnem exponit, teſtatus nullam ſe regni diviſionem admiſſurum, qvin potius Gullharaldum, ſi in poſtulato perſeveret, occiſurum. Comes nec hoc qvidem ſine magno Regis periculo perfici poſſe reſpondit, cum flagrantiſſima civium gratia, ob patris ejus memoriam ſuffulciretur, qva fretus, turbas excitaturum videri, repulſa incitatum; nec tamen conſultum, ut Rex eum in partem regni admittat, cum imminitione Majeſtatis ſuæ & potentiæ; His auditis Rex; qvid ergo conſilii afferat? reqvirit, qvandoqvidem ſine deminutione de imperio, rem tantam componi poſſe prævideat. Comes paucorum dierum ſpatium ad deliberandum expoſcebat; qvo elapſo Regi redeunti ſvadet, ut loco dimediæ Daniæ, integrum ei Norvegiæ regnum procuret. Id vero Rex haut in proclivi eſſe, ſe longâ experientia didiciſſe affirmabat, cum in Gunnhildidarum gratiam, Haconem Adalſteini alumnum impugnaſſet, ſuo ingenti damno, uulla reportata victoria; rem qvoqve hic futuram cum ſtrenuis Ducibus, bello asſvetis, plerumqve etiam felicibus. Comes planiorem viam ſe adinveniſſe reſpondit, qvam ut univerſa Dania in eum finem armetur. Evoca, inqvit, alumnum

mnum tuum Regem Haraldum, ſpecie provinciarum Danicarum, qvas tua munificentia, & beneficio olim ad ſuam ſuorumqve ſubſidium impetravit, iterum in feudum recipiendarum. Huc ſi acceſſerit, parvo momento eo occiſo, Norvegiam lucrabitur Gullharaldus; Rege, ſubſecuturam facti tam enormis, erga alumnum infamiam metuente; Imo vero, reſpondit Comes, Dani prædonem Norvegicum, qvam fratris tui filium occiſum malint. Jamqve Rege, mox Gullharaldo, in ſuam ſententiam ductis, Oratores in Norvegiam miſſi, Regem in Daniam ad Jutiæ litus Halſicum pelliciunt, ubi tribus navibus inſtructus, dum Regis Cærulidentis adventum opperitur, â Gullharaldo cum majori manu ſuperveniente occiditur. Vix Gullharaldus portu Regio ſolverat, cum Comes Regem accedens, refert qvantos impetus ad eum etiam ſua manu interficiendum, proxima hyeme, cum nullis ſuſtultus auxiliis, intra aulæ ejus parietes, omnium injuriæ pronus, verſaretur, cæperit; an auctum regno Norvegiæ, in tantum potentiæ provectum, curam omnem Danici regni abjeciſſe arbitraretur? His exterrito Regi, ad eum iſto periculo liberandum, & inſuper ad acqvirendum ei totius Norvegiæ regnum cum ſua claſſe, qvam ſpecie piraticæ expeditionis inſtruxerat, Gullharaldum, â recenti cum Rege Norvegiæ bello feſſum ſe invaſurum, eumqve occiſurum exponit; mox, qvaſi eo inſcio, factum per interceſſores deprecaturum, deinde Norvegia in poteſtatem ejus redacta futurum ejus fiduciarium clientem, ſeu vaſallum, inqve hoc fidem ſacramento daturum. His mutua pactione firmatis, Comes ad perſeqvendum Gullharaldum magnis copiis clasſeqve proficiſcitur, recentiqve hoſtium cæde calentem victorem, & regni ſpe exultantem ſecurum, ex improviſo, amicus

cus intimus, omnium ſecretorum arbiter, & tantarum rerum promotor deſtinatus, invadit; nec difficulter ſaucios & feſſos, integer ipſe viribus fundit & ſuperat, captumqve Gullharaldum cruci affigit, claſſemqve ejus cum univerſa gaza, auriqve inuſitatâ vi, adeo ut exemplo careret, unum aliqvem virum in ſeptentrione inventum, qvi id generis tantum poſſideret, occupat. Hinc ad Regem cum victrici claſſe reverſus, facta Gullharaldi compenſatione, in gratiam cum eo rediit. Inde qvanta potuit feſtinatione, claſſe ſexcentarum navium, Rex cum Comite in Vikam Norvegiæ trajicit, ubi ingentibus civium ſtudiis, Gunnhildidarum crudelitatem averſantium, excipitur, qvi ſe ſuaqve omnia in ditionem ejus tradunt. Idem, cum Tunsbergam appulit, factum. Omne deinde militum robur, qvod ad eum, dum in Norvegia moraretur, confluxit, Comiti Haconi tradidit, ad provincias aqvilonares, qvæ Gunhildidis parebant, pacandas; qvi cum populi ſtudiis deſtituerentur, ad reſiſtendum invalidi, ſpontaneum ſibi exilium indicentes, Orcades petivere. Comes omnes provincias, â borea ad promontorium Lidandisneſiam in fiduciam accepit, ea lege qvâ Haraldus Pulchricomus filiis ſuis eas regendas commiſit. Adjectum inter conditiones, ut ſemel tantum cum Rex maxime indigeret, Comes militem tota Norvegia conſcriberet, inqve Daniam deportaret. Ipſe vero omni tempore, qvoties Rex illum arceſſeret, ejusqve præſentis conſilia reqvireret, abſqve mora in Daniam ad eum proficiſceretur, uti habet Auctor Hiſtoriæ Olafi Tryggvini Codice Flateyenſi contentæ: id qvod Oddus Monachus, qvoties expoſceret, conveniſſe tradit.

CAP.

CAP. XIV.

De Styrbiorno Sveciæ Principe, alias Sveciæ athleta dicto, ejus geſta ex Sancti Olafi Hiſtoria, qvæ Codice Flateyenſi continetur, deſcribuntur, Knytlingorum Hiſtoriæ narratio, & Saxonis ab utraqve diſſenſus exponitur, ejus verba allegantur, qvaliscunqve conſenſus eruitur, oſtenditur Styrbiornum poſt annum CMLXXXIV cæſum non fuiſſe, nec ante annum CMLXXX. cædi potuiſſe. Locus Hiſtoriæ Olafi Tryggvini de Audure Comitis Haconis Hladenſis filia, Eirico Victorioſo collocata, illuſtratur.

Expoſuimus qvæ de Chriſtianiſmo in Daniam ſub Haraldo Cærulidente introducto, & acqviſita Norvegia, vetuſtæ memoriæ conſervarunt. Ea vero qvæ Saxo de Styrbiorno commemorat, ordinem temporum ſecuti in hunc locum reſervavimus. Illa qvidem Saxo rebus cum Imperatore Ottone ab Haraldo Rege geſtis innectit. Jam vero monſtravimus, de ejus nominis Secundo illi ſermonem eſſe. Id vero memoriæ Islandorum non admittunt, qvæ licet nullum certum annum definiant, monſtrant tamen, eum poſt annum CMLXXX & ante annum CMLXXXV cæſum fuiſſe. Nos in fine hujus capitis eorum rationes adducemus. Jam vero qvæ de eo nobis Sancti Olafi Hiſtoria, Codice Flateyenſi contenta tradit, ejuſdem propemodum verbis perſeqvamur. Biorno Secundo de Colle, noſtro calculo anno Salutis CMXXIII mortuo, filius Eiricus, â bellis proſpere geſtis Victorioſus deinceps cognominatus, & Olaſus ſucceſſerunt. Uxor ei Ingibiorgis, Comitis Thrandi de Sula filia, cui frater

ter Ulfus, Filius ex hac uxore, Biornus, hæres paternæ ditionis, patre ad menſam repentina morte, veneno provocata, ſublato, ſed puer relictus, in aula patrui ad annum ætatis duodecimum, ſub nutricatu Ulfi avunculi ſui, educatus eſt. Tum primum, tumulo ſepulcrali patris ſui, Regio more, inſidere, nec Regiam menſam accedere, regnumqve paternum repetere cæpit, cauſatus regni adminiſtrandi rationem, ſatis qvidem puerilem, ætati ſuæ convenire; cumqve proximis duobus annis cæptu veris hæc iteraret, Rex ante annum ætatis decimum ſextum, neqve eum hæreditatem aditurum, vel regnum rite adminiſtraturum, eo vero completo, neqve ſe eum moraturum reſpondit. Interea ſimultas inter Biornum & aulicum qvendam nomine Akium interveniens, ad mutuas injurias proceſſit. Cum enim Biornus Akii caput injecta veſte obvelaret, ille contumeliæ impatiens, naribus ejus cornu impingeret, acceptam ignominiam Biornus cæde ejus ilico vindicavit, nec ut ulla compenſatione expiaret adigi ſe paſſus eſt. Rex igitur iis, qvorum intereat, ſatisfecit. Mox ad Luſtrandas regni partes aliò avocatus, Biornum domi uſqve ad proxima comitia reliqvit; qvæ dum celebrarentur, cives alium qvendam obſcuro genere ſubornarunt, qvi ei, qvominus Rex crearetur, obniteretur, inqve partem, cujus is hæres erat, Regem conſtituerunt, excedentemqve Biornum, cum avunculo Ulfo, tumultu facto, lapidum ceſpitumqve jactu perſecuti ſunt. Rediit itaqve Biornus in aulam patrui. Cæterum qvod intra regnum intolerabilis, ob ingenium præceps & indomitum, civibusqve omnibus inviſum, videretur, Rex, qvo regno per integrum biennium exeſſet, ſexaginta navibus delecto milite, omniqve ex parte qvam curatiſſime inſtructis, abitum

ejus

ejus & abſentiam, tanqvam rixarum cædiumqve inducias mercatus eſt, nomenqve Styrbiorni a turbido ingenio ad bella cædesqve propenſo indidit. Verum ante abitum, ubi novus ille Svecorum Rex moraretur, inqviſivit; qvem ſubito adortus, commiſſo prælio, facile fudit occiditqve. Inde in orientales terras infuſus, indigenas ad militiam ſuam ſeqvendam paſſim adegit, poſt triennium Jomsburgum expugnavit, ſeqve ibidem Principem conſtituit. Prodigium, cum ibi cum exercitu moraretur, tale viſum memoratur. E foſſa, qvæ urbem cinxit, centaurus ſe extollens carmen modulabatur, qvo Danis horrida bella imminere, cladem qve ingentem alicunde exſpectandam, per ambages ſignificavit. Jomsburgo in occidentem magna claſſe exercituqve infuſus, Daniam cruento bello infeſtabat: pax tandem conditionibus coaluit: Thyra Haraldi Regis filia in matrimonium data, additis auxiliariis navibus centum, in tria bella juſtis exercitibus gerenda. Nox una geniali thoro data eſt; mox Jomsburgum rediit, eô namqve ingens ex Oriente ad eum confluxus factus eſt, expeditioqve, ni maturè adeſſet, ſingulis ad proprias domos relapſuris, palam detrectabatur. Igitur univerſum exercitum mille navium claſſe in Daniam reduxit, minatus ſe occupato regno ſedes ibi fixurum, ni ducentas bellicas naves ſuppeditarent, virumqve qvem in militiæ ſocietatem ipſe deligeret: Regem autem ipſum elegit. Fecerunt ergo carmen Dani, cujus hic eſt ſenſus: Detrectarunt Joti (Dani) impenſas in claſſem expendere, donec claſſis Styrborni in litore ſtaret, jam Dominus Daniæ ad turbam acceſſit nebulonum, populis Regionibusqve & opibus orbatus, in ſervum degeneravit; hac claſſe Sveciam repetivit. Ut vero famam tanti exercitus

Rex Eiricus percepit, haut amplius dubitavit, qvin Sveciam impugnaturus, ſibiqve, ſi poſſet, erepturus, propediem exſpectandus eſſet. Igitur advocata concione, amicos & ſenatores, qvid facto opus eſſet conſuluit. Fuit inter omnes Sveones vir ſui temporis ſapientiſſimus, nomine Thorgnyr, Tiundiæ ſeu decimæ regionis, ubi illius ævi metropolis Upſalir ſita eſt, officio per avorum ſeriem, tanqvam legitimam ſucceſſionem, ad ſe derivato, ſupremus judex provincialis, jam grandævus & caligantibus oculis, ſed in præcipuo apud Regem honore, qvod qvævis obſtacula conſiliis ſuperare, emergentesqve difficultates expedire noſſet. Hic ſvaſit, ut emendatis in favorem plebis legibus, civium jura auctiora redderet, onera levaret, armorum modum, genusqve ſingulis ordinibus præſcriberet, navigationem ad Upſalos, merſis in profundum molibus, interciperet. Interea Styrbiornus claſſem litoribus Svedicis, ad exponendum militem maximè commodis, tutisq; ſtationibus admovit, moxq; vectura exonerata incendit, neceſſitatem bellandi, omni ex hoſtico elabendi ſpe præciſa, impoſiturus. Inde per Sylvam, Myrkvid patria lingva dictam, qvod latine loqventibus opaca ſylva vertitur, tranſitum exciſis arboribus molitus, indigenis ſe opponentibus, univerſæ ſilvæ incendio ſe expreſſurum minatur. Rex tranſitus poteſtatem prætulit incendio: Atqve ita nemine prohibente ad campos Fyrenſes pervenit. Thorgnyr autem phalanges eqvorum boumqve inſtrui curavit, qvibus juga præfixis ſpiculis haſtisqve noxia imponerentur; hos, ductoribus ſervis, vel facinoroſis, mortemqve promeritis, in hoſtem emitti in modum falcatorum curruum mandavit. Senſit inde Styrbiornus primo die haut levem cladem; proximo autem pari utrinqve damno

mno pugnatum eſt; nox prælium diremit. In exercitu Styrbiorni Comes qvidam Hemingus, ut ſatis clarum nomen, fuiſſe memoratur, nec tamen qvicqvam ultra de eo conſtat.

Eadem nocte Styrbiornus, Ulfo nutritio ſuo, totoqve exercitu inſtigante, Thori Deaſtro ſacrificavit. Apparuit eadem nocte in caſtris ejus vir rubra barba, carmen modulatus, qvo ſe Styrbiorno inqvietante ad iram provocatum qveſtus, magnam cladem inſtare prædixit. Haut minore ſolicitudine Rex baſilicam Odini ingreſſus, cum fruſtra pluribus hoſtiis litaſſet, pro victoria ſemetipſum devovit, decem annos vitam ex eo tempore pactus, qvod rebus ſuis majorem in modum timeret. Paulo poſt virum magna ſtatura, pileo faciem velante, conſpexit, qvi porrecta arundine juſſit, ut eam jaculi in modum ſuper exercitum Styrbiorni conjiceret, cum hac formula: vos omnes Odini eſtis. Cum prælium redintegratum eſſet, Eiricusqve, uti præſcriptum erat, arundinem emiſiſſet, ſagitta leviſſimi generis (gaflok vocant) volitare ſuper Styrbiorni copias viſa eſt: mox obfuſa omnium oculis denſa caligo, ilico totum exercitum, tandem etiam ipſum ducem, obcæcavit. Qvo viſo, ſuos, vexillorum haſtis ſolo impactis, â fuga dehortatus eſt. Mox delapſus monte ingens ſabuli tumulus, univerſum exercitum ad internecionem obruit delevitqve; qvoſdam tamen ê piratis Jomicis, & inter eos Biornum Breidvikingorum athletam dictum, Islandum, evaſiſſe comperior. Rex autem Haraldus, univerſæqve Danorum copiæ, in fugam verſæ, ubi ſpatium qvo arundo pertigit evaſerant, viſum receperunt, patriamqve repetebant. Conſiſtebat tunc Eiricus in crepidine collis Upſalienſis, præmiumqve propoſuit ei, qvi carmine victoriam celebraret. Adfuit ibi Thorvaldus Hialtinus,

nus, (is, cujus Arngrimus Crymogææ Lib.I. Cap.IV meminit, qvi cum fratre ſuo, parenti communi, in Islandia, exeqvias convivio mille ducentis hominibus, per qvatuordecim dies celebrato, fecerat,) duobusqve carminibus, qvæ geſta eſſent expoſuit, qvæ etiamnum Sancti Olafi vita continentur, Armilla aurea, largitione Regis, in ſingula impenſa, eſt, traditurqve Thorvaldus, nec antea nec deinceps verſus feciſſe. Extat & Biorni Breidvikingi carmen, qvo ſe interfuiſſe gloriatur. Is poſtea in parte Americæ aliqva, imperium adeptus memoratur. Knytlingorum Hiſtoria, ſepoſitis fabulis, Cap. II. his verbis hæc exponit. A dogum Haraldz Konungs Gormsſunar, var Styrbiorn en Sterki i hernadi i auſtrveg, Styrbiorn var ſon Olafs Biarnarſunar Svia Konungs, Styrbiorn kom med her finn i Danmork, oc feck handtekit Harald Konung, þa gifti Haraldr honum Dottur ſina, oc for ſialfr til Sviþiodar med Styrbyrni, Styrbiorn brendi oll ſkip ſin adr hann geck a land up, enn er Haraldr Konungr verdr þeſs varr þa helt hann ſcipum ſinum ut a lauginn oc ſidan a braut oc aptr til Danmerkr, Styrbiorn bardiz a fyrisvollum vid Eirik hinn Sigrſæla Sviakonung fodur-brodur ſinn, þar fell Styrbiorn oc fleſtr luti lids hans en ſumt flydi, þat kalla Sviar Fyris-elltu.

„Hoc eſt. In diebus Haraldi Gormii, Styrbiornus Robuſtus in oriente bella geſſit, fuit autem filius Olafi Biorni filii Sveciæ Regis, Styrbiornus cum exercitu Daniam provectus comprehendit Regem Haraldum. Tunc conjugio ſociavit Haraldus Rex ei filiam ſuam Thyram, ipſeqve Styrbiornum in Sveciam ſecutus eſt. Styrbiornus omnes ſuas naves exuſſit, anteqvam in terram aſcenderet; Cum autem Rex Haraldus certior factus eſſet, qvod Styrbior-

biornus claſſe nudatus eſſet: ſuas naves in lacum Logum " traduxit, indeq; in Daniam. Styrbiornus in campis Fyrenſi- " bus conflixit cum Eirico Victorioſo Sveciæ Rege, patruo " ſuo. Ibi Styrbiornus cum maxima parte exercitus cæſus " eſt, qvædam fuga evaſit. Id (prælium) Sveci Fyrenſem " perſecutionem vocant. "

Hæc Saxo & qvi eum ſeqvuntur aliter exponunt: nec Styrbiornum Olafi filium, ſed Biorni Sveciæ Regis, Eiricumqve, qvem nos ejus patruum, patruelem, & qvidem Olafi filium, contra Svecorum Scriptorum auctoritatem, agnoſcimus; nec Thyram Haraldi filiam duxiſſe, ſed ſuam Regi ſororem Gyritham ſimiliter regno exulantem, in matrimonium obtuliſſe; qvam ſvaſu matris, ut tradit Meurſius, acceperit, tantumqve abeſſe vult, ut Styrbiornus Jomsburgum expugnaverit, ut præfecti tantum jure cum præſidio ab Haraldo, jam Slavia potito, præpoſitus, ab eoqve ad bellum Svecis inferendum auxiliariis copiis inſtructus fuerit, Haraldumqve in reſtituendum eum in Sveciæ regnum, cum copiis ſuis ad Hallandiam profectum avocatum irruptione Ottonis Imperatoris, Styrbiornum autem ante Regiarum partium reditum, bello cum Svecis commiſſo ſuperatum, occiſumqve, Johannes Magnus, ne hæc ex Saxone tantum; ſed etiam patriis monumentis deſcripſiſſe videretur, more ſuo hæc variat. Biorni enim in Sveciam olim intruſi filium eum fuiſſe tradit, ejus credo, qvem Ragnaris Lodbrochis filium putat (cui Ericus Olai ſubſcribit) ſummamqve eum victoris clementiam expertum, non ſolum libertate, ſed etiam honorifica præfectura & provincia donatum fuiſſe. Id qvod Loccenius etiam ſecutus eſt. Verum ſi qvis Saxonis traditionem penitius inſpexerit, animadvertet hæc, qvæ ſcripſimus, exin-

de aliqva ex parte illuſtrari; verba ejus adſcribam ex Libro „X depromta. Ea tempeſtate, inqvit, (triennio nimirum „poſt cædem Haconis Adalſteini alumni, qvam in annum „CML retulimus) Svetici Regis Biornonis filius, â patrui „Olai filio Eirico regno ſpoliatus, petendi auxilii gratia ad „Haraldum, cui Thyra mater extitit, cum ſorore Gyritha „ſupplex migravit, tantoqve apud eum paratiorem amici- „tiæ locum reperit, qvanto illi ejuſdem ſororis ſuæ matri- „monium liberalius promiſit. Poſt hæc Haraldus armis „Slavia potitus, apud Julinum, nobiliſſimum illius provin- „ciæ oppidum, Styrbiorno Duce, competentia militum præ- „ſidia collocavit, qvorum pyratica egregio animorum ro- „bore celebrata, ac finitimis paulatim trophæis, eo demum „ferocitatis exceſſit, ut continuis nautarum cladibus ſepten- „trionalem impleret oceanum. Ea res plus Danico impe- „rio, qvam ullum terrenæ militiæ negotium, attulit. Inter „qvos fuere Boulf, Kärlſeſni, Sivaldus, aliiqve complures, „qvorum prolixam enunciationem, tædio qvam voluptati „propiorem, ſtilo proſeqvi ſuperſedeo. Inter hæc Styrbior- „nus, ultionis aculeo laceſſente acceptam injuriam penſare „cupiens, Haraldo in opem accito, memorem damnorum „iram adverſus inviſam Eirici dominationem diſtrinxit. „Cujus rei gratiâ Haraldus in Hallandiam proficiſcens, „Thevtonicæ irruptionis nnncium, qvæ â Cæſare Ottone „gerebatur, accepit. Igitur alienæ rei impetitionem, qvam „propriæ defenſionem langvidiore ſtudio proſecutus, exter- „næ pugnæ propoſito domeſticæ curam antepoſuit. Poſt- qvam vero qvæ inter Regem & Imperatorem geſta eſſent, expoſuiſſet, ad Styrbiornum rediit. Interea, inqvit, Styr- „biornus contumelioſa militum adhortatione compulſus,

„fortu-

fortunam ſuam temerè ſociorum fortitudini credidit; in-"
qve proprium exitium ruens, Regiarum partium reditum"
ſtolida præceſſit audacia, bellum enim præpropere auſus,"
rebus Sveonum, per incuriam laceſſitis, occiditur: "

Ex his colligitur, primo Styrbiornum Julinum cum militum præſidio tenuiſſe, deinde, qvod invito Haraldo, omnem Septentrionalem oceanum infeſtum reddiderit. Id enim verba illa, qvæ eò ferocitatis proceſſiſſe dicunt, innuere videntur, nautarum autem clades, non de Julinenſium, Styrbiorno ſubjectorum cladibus, ſed vel Danorum, vel promiſcuarum gentium, vim eorum & rapinas expertarum, intelligenda videtur; id qvod etiam illuſtratur ex eo, qvod illa res plus Danico imperio, qvam ullum terrenæ militiæ negotium attulerit; id vero qvale fuerit jam expoſuimus; Qvod autem Bo, Sigvaldum, & alios nominat, confuſionem qvandam ſapit, ex Hiſtoria Norvegica facile diluendam, deniqve ipſum Haraldum cum Stybiorno in Hallandiam profectum, noſtrates uſqve in Sveciam, cauſa ſuperius allata, affirmant; demum occiſum ibi Styrbiornum cum noſtris Scriptoribus conſentit. Confirmat hæc ipſius Olafi Sveciæ Regis, Eirici hujus filii, colloqvium cum Hialtio Skeggino Iſlando, dum Svecorum Regum eminentiam præ reliqvis Septentrionis Regibus extolleret, (de qvo in vita S. Olafi Norvegiæ Regis ſcripſimus) hoc potiſſimum argumento, qvod Haraldus Cærulidens, Hacónem Adalſteini alumnum, Norvegiæ Regem, Haraldum etiam Grafeldum, vita regnoqve exuiſſet, cum eum hoſtem experti eſſent, Styrbiornus autem ipſum ad imperata adegiſſet, ipſe qvidem patre ſuo Eirico, potentia longe inferior, atqve adeo, ut ab eo vita ſimul cum poteſtate privaretur: adeo fraudem, dolos & perjuria Styrbiorni,

biorni, qvibus ſocerum vinculo ſangvinis fæderumqve ſanctiſſimo jure fretum, nihil hoſtile ſperantem, immenſo exercitu, & in eo ſuis etiam auxiliariis copiis, bona fide in ſubſidium adverſus hoſtes, non in propriam perniciem, datis, adortus erat, inter potentiæ argumenta numeranda exiſtimavit, pari jure, qvo potentiæ Cærulidentis dolum, qvo Grafeldus circumventus eſt, adſcripſit. Hæc autem, qvæ Saxo, cum Islandorum documentis, ad noſtrum calculum reductis, ab anno CMLIII, ad CMLXXVI pertexit, inter annos CMLXXX, & CMLXXXV, geſta agnoſcimus, id qvod non rationibus tantum; ſed pene infallibili auctoritate, confirmabimus. Poſt annum LXXXV. Eiricum cum Styrbiorno conflixiſſe neqviviſſe, Hiſtoria Olafi Tryggvini Part.I. Cap. XL, cæteris conſentientibus, docet, nam decennium tantum poſt illam ſtragem vixiſſe ex pacto, cum ſe devoverat, conſtat. Idem Chronicon Snorrii, in vita Haraldi Grafeldi, fine paragraphi: fra: Haraldi Grænſka, confirmat his „verbis: Eirikr vard ſottdaudr at Upſolum, X vetrum ſi„darr en Styrbiorn fell. ɔ: Eiricus Upſalis ex morbo deces„ſit; decem hyemibus poſtqvam Styrbiornus occubuit.

Anno autem CMXCIV uxoris ejus Haraldus Grænſkius, tunc viduæ, nuptias ambiens, temeritatem (ut illa interpretabatur) ſupplicio mortis luit. Non igitur decennium â cæde Styrbiorni extraxiſſet, ſi non dicam poſt annum LXXXV. ſed LXXXIV, hæc geſta fuiſſent. Idem probat ætas filii ejus Olafi, qvi Sveo peculiariter appellatur, qvem ideo Skaut-Konung vocatum, Hiſtoria Hervoriana memorat, qvod tenellus poſt obitum patris, nutricis familiariumqve ſinu, vel gremio foveretur, (gremium enim, paterna lingva, Skaut appellatur.) Is autem anno milleſimo, non

regni

regni modo per ætatem, ſedecim annis legibus Svedicis (ut ſuperius dictum) definitam, ſed etiam belli, omnium celeberrimi acerrimiqve, ſuis, non auſpiciis modo, ſed etiam ductu contrà Olaſum Tryggvinum gerendi capax fuit, qvod etiam feliciter abſolvit. Anno qvoqve MXVIII, nubiles filias habuit, qvarum aliam Jarisleifo Ruſſiæ, aliam Sancto Olaſo, Norvegiæ, Regibus elocavit, cujus infantiam, patrisqve Eirici, huic connexum, obitum, ſi infra annum CMLXXXV depreſſerimus, nubiles vix fuiſſe planum eſt. Unde facile Adamus Brem: refellitur, qvi Lib. II. Cap. XXV. Eiricum Victorioſum vivum nobis exhibet, circa annum decimum qvartum, poſtqvam Svenus Furcatæ barbæ exulare cæpit. Id eſt circa annum CMXCIV, ſi ex vulgari calculo admiſerimus, Haraldum deceſſiſſe, anno CMLXXX. ſecus ex ipſius computatione circiter milleſimum. Certe qvò longius ætatem Eirici producimus, eo minus hæc ſubſiſtunt; tenella nimirum Olaſi, patre orbati, ætas, & propera ſobolis progeneratio, & his annis illius definita maturitas. Ut taceam qvod hæc fabula â Simone Dunelmenſi refellatur, ut in Sveni vita poſterius oſtendetur. Ex his perſpicuum eſt, Styrbiornum poſt annum CMLXXXV. cædi non potuiſſe, ſed nec ante annum LXXX ex æra inventæ Gronlandiæ monſtratur: Biornus enim Breidvikingenſium athleta, Islandus, Thorneſenſium Hiſtoria, qvæ Eyrbyggia appellatur, tradente, anno ante inventam Gronlandiam, patria exceſſiſſe, ex annorum liqvida computatione, monſtratur. Inde Jomsburgum ſe ad Palnatokium, qvi tunc ei præerat, contuliſſe, ibiqve manſiſſe, cum Styrbiornus eam expugnaret. Eum deinde in Sveciam ſecutum, bello Fyriſvallenſi interfuiſſe; iterumqve ſe Jomsburgum recepiſſe, deinde Palnatochio, qvoad vixit, militaſſe; ratio calculi ex eadem Hiſtoria talis eſt.

Biennio anteqvam Eiricus Rufus primo ex Islandia, ad inqvirendam Gronlandiam ſolveret, Thorbiornus Craſſus, Snorrii Curionis Helgafellenſis ſororius, occiſus eſt, tempore autumnali. Snorrius ſororem, qvod in Biorno Breidvikingenſium athleta infamis eſſet, eadem hyeme in domum ſuam deduxit, ubi illa, cum nuper advecto mercatore, Thoroddo Skattkaupandio, (qvod navis ſuæ cimbam, parte cenſus Hæbudenſis, ſatellitibus Sigurdi Craſſi, Orcadum Comitis, vendidiſſet, de qvo in Hiſtoria Orcadenſi cap. X. pag. 29.) appellato, hyemavit, eademqve hyeme ipſi eam conjugio ſociavit. Cum autem Biornus nihilominus invito marito ipſam crebrius inviſeret, ipſe maritus eum domum repetentem, in via cum domeſticis & duobus juvenibus aliis, ex inſidiis adortus, cum horum jactura, ipſe qvoqve leviter ſauciatus repulſus eſt. Sed in jus deinde vocatus Biornus, trienniiqve exilio multatus, proxima æſtate patriæ exceſſit. Mox Daniam & inde Jomsburgum provectus, in Jomsvikingenſium Collegium â Palnatochio aſciſcitur, ut jam dictum eſt. Jam vero Arius Polyhiſtor, decimo qvarto aut decimo qvinto, ante lege ſancitum Chriſtianæ Religionis per univerſam Islandiam receptum, uſumqve, poſitam in agro Gronlandico coloniam refert, idqve ex relatione avi ſui Gelleris, qvi ipſe in Gronlandia præſens, illud a cive Gronlando, qvi ipſe Eiricum Rufum illuc ſecutus eſt, accepit, qvarto vel qvinto ab inventa terra iſta anno, de qvo Arius ſilet, alii in uno tantum anno qvoqve hic diſſentiunt. Confirmat hæc eadem hiſtoria, alio loco, ubi Kiartanum, ejuſdem Biorni putatitium filium, eodem anno qvo is patria exceſſit natum, anno qvo ſacra Chriſtiana in Islandia publicè recepta ſunt, (qvi eſt æræ Chriſtianæ milleſimus)

ſimus) aliis exemplaribus annorum tredecim, aliis qvatuordecim, vel qvindecim fuiſſe memoratur; qvæ licet in defectu peccent, (confundunt enim inventionem Gronlandiæ cum coloniarum in eam deductione, ſed illigatam priori profectioni Biorni) illud tamen evincunt, eam ſupra annum octogeſimum elevari non poſſe. Exceſſit ergo patriâ proximò, ut dictum eſt, ante Gronlandiam inventam anno, eodemqve puer ille Kiartanus natus perhibetur, anno certe CMLXXX vel proxime ſeqvente, ita ut anno milleſimo viginti vel uno minus annorum fuerit. Ex his manifeſtum eſt, inter annos LXXXI & LXXXIV. Styrbiorni excidium verti. Forte nec minima cauſa fuit conceptæ adverſus Regem Haraldum civium indignationis, qvod Styrbiornus ejus, jam ſenis, patientiam inſultaverit, qvamvis ex carmine ſuperſtite conſtet, ipſos, dilatis ſtipendiis, in culpa fuiſſe: Hinc forte experrectus in ultionem Eiricus Victorioſus, Sveciæ Rex, provincias Scaniæ Haraldo eripuit, id qvod Adamo anſam dedit ad ea, qvæ de tota Dania ab eo ſubacta prodidit. Ex his locus Hiſtoriæ Olafi Tryggvini Part. I. Cap. LXIII. facile in ordinem redigitur, qvi tradit Comitem Haconem Hladenſem, prius qvam Norvegiam ad obſeqvium Haraldi Regis reduxiſſet, (nobis ante annum CMLXII) in Sveciam profectum, aſſumtam ſecum eximia formâ filiam, nomine Audurem, id temporis Eirico Victorioſo nuptiis junxiſſe, poſt repudiatam ab eo Sigridem, Olafi, qvi poſtea regnavit, matrem, divortium ſtudio qværentem, cauſasqve callide ſubnectentem, metu legis, qva Regia uxor mortuo Regi viva contumulari tenebatur, certam paucos ei annos reſtare, poſtqvam ſe Odino bello adverſus Styrbiornum geſto devoviſſet, illo vero metu, ante cædem Haraldi Grafel-

di teneri non potuit; nam ſi illa in annum CMLXII incidit, conſtat ultra duo decennia Eiricum exinde vixiſſe; nam Adamus Bremenſis eum Ottonis Tertii temporibus æqvalem facit, qvi tamen anno CMLXXXIV cæpit imperare. Thomaskinna extremis Comitis Haconis annis eum deceſſiſſe tradit; nec nos de termino vitæ ejus diſqvirimus; ſed nec noſtratum traditionibus officit, ſi vel maxime ad annum CMXCIV, qvo Sigridem viduam filium ejus Olafum Regem fuiſſe tradunt, vitam produxiſſet, modo decennium â Styrbiorniho bello non exceſſerit, parte tamen illius Audurem duxiſſe videtur, ad qvem Comes Hacon, poſtqvam ab Haraldo defecit, potius cum filia profectus creditur, ad conciliandam ſibi ejus gratiam adverſus potentiorem hoſtem, facile enim Scriptoribus temporum iſte lapſus, alias haut inſolens, obrepere poterat. Thorneſenſium laudata Hiſtoria circa hæc tempora, annum videlicet, qvi Gronlandiæ inventionem præceſſerat, magnum inter illos amicitiæ uſum interceſſiſſe teſtatur. Miſerat enim Eiricus Haconi duos Berſerkos, natione Svecos, giganteo robore, Hallium & Leiknerem, magniqve muneris loco imputavit, nec ſine commendatione, ut iis ſe benivolum exhiberet, caveretqve irritare; nam efferveſcente ira, caninæ rabiei implebantur, cætera tractabiles, & haut vulgaris uſus ſi neceſſitas ingrueret; qvorum monumentum Herculeum in Islandia, via per eos, inter invias, ſed exeſas igne ſubterraneo rupes, ſtrata, altius qvam ad hominis eqvo inſidentis menſuram, terræ impreſſa, hodieqve admirationem meretur.

CAP.

CAP. XV.

Qvo cauſa concepti â Palnatokio odii in Regem Haraldum oſtenditur, cædes nempe patrui ejus Akii: Palneris nuptiæ, Palnatokii educatio & conjugium.

Haraldo Cærulidente juvene, ſive partem aliqvam regni, ſed Regio titulo, ſive totam vice patris adminiſtrante, floruit in ea Daniæ provincia, qvæ Fionia vulgo dicitur, vir qvidam inter præcipuos magni nominis, Tokius, cui ex uxore Thorvore duo nati ſunt filii, Achius & Palner, tertius ex pellice, nomine Fiolner, natu minimus. Ad ſenium deinde provectus Tokius, autumno qvodam rebus humanis eximitur, exiguoqve interjecto tempore uxor ejus Thorvor moritur. Achius itaqve & Palner, utpote bonorum omnium hæredes, dum familiam herciſcuntur, Fiolneri portionem ſuam reqvirenti, mobilium bonorum trientem offerunt, affectumqve juri præpoſuiſſe exiſtimabant. Is autem tanqvam legitimus hæres æqvales partes poſtulabat; qvo negato, accepto qvod oblatum eſt, ad Haraldum Cærulidentem jam tum appellatum Daniæ Regem, indignabundus conceſſit, aſcitusqve in aulicorum numerum, poſt modicum tempus ei â ſecretioribus conſiliis fuit, erat enim vir prudens, ingenio ſagaci, ſed maligno. Nihil ergo antiqvius habuit, qvam ut fratres apud Regem fictis criminibus deferret, materiam præbente Achii ſupra privatorum omnium totâ Daniâ ſortem progreſſa potentia, aſſiduis victoriis piraticis prædisqve ingentibus parta,

 geſto-

geſtorum præterea gloria, ſtudiisqve vulgi, famam celebrantis, aucta. Hanc in majus extollens, Regem eum judiciis plebis æqvare dictitabat, adeo ut ſolus rem Danicam gerere neqvaqvam videatur, qvoad Akius ſupereſſet. His talibusqve credulas Regis aures aſſidue implendo, eum in fratrem vehementius accendit. Jamqve matura in perniciem innocentis Akii calumnia erat, cum â Regis inſultibus neqvaqvam domi tutus, ad Ottarem Gautiæ Comitem, cum qvo amicitiam ſemper hoſpitiumqve habuit, invitatus, duabus navibus longis proficiſcitur, centum viris probè armatis, lauteqve veſtitis comitatus, magnifico exceptus eſt convivio, donisqve pro more diſcedens ornatus. Qvo cognito, qvingentos armatos, qvi eum cum univerſo comitatu in reditu occiderent, Rex ipſe ſubornavit. Hi ex ſpeculatoribus, qvos emiſerant, de ejus itinere certiores facti ſecurum & nihil hoſtile metuentem, in Siælandia, ubi in tentoriis haut procul litore fixis cum ſuis acqvieſcebat, offenderunt, confeſtimqve imparatos ex improviſo adorti, dejectis tentoriis ad unum omnes occiderunt. Reverſi deinde cum navigiis Akii, atqve inſignibus cæſorum ſpoliis, eadem ad Regem reportabant. Qvi cognita eorum cæde, ingenti, ut ipſi videbatur, periculo liberatus, deqve ſocio imperii in poſterum ſecurus, prædaqve haut exigua auctus, haut parum lætabatur. Hinc diffidentes fratrum animos diſpar qvoqve in cæſum affectus in diverſa traxit, Fiolnere, tantâ negatæ hæreditariæ portionis vindicta exultante, Palnere præter orbitatem, ultionis facultatem in præſens, ſpem etiam in poſterum ereptam, adeo acerbe lugente, ut deficientibus viribus, prope exangvis affixus lecto decumberet. Hoc ſtatu amicum intimum ſociali fœdere ſibi junctum

ctum nomine Sigurdum, virum opibus & potentia clarum, conſuluit, ille â præſenti rerum motu animum avertendum, fratrisqve orbitatem ſplendido matrimonio compenſandam ſvadens, ſuam qvoqve operam offert ad Ottaris Gautiæ Comitis filiæ Ingiborgis nuptias ei conciliandas. Placuit Palneri de ſucceſſu ſolicito, conſilium. Itaqve Sigurdus cum ſexaginta comitibus navi conſcenſa, in Gautiam ad Comitem profectus, humaniſſimè ab eo excipitur. Expoſita deinde adventus ſui cauſa filiæ ejus nuptias Palneri petit, egregiisqve illum laudibus extollens, haut fratre Akio inferiorem retulit. Adjecit deinde, præ mærore abſqve dubio moriturum, ſi repulſa acceſſerit. His Comes moderatè & humaniter reſpondens, in hæc ſe animum intenſurum promittit, certe modo Akio fratri ad omnia ſimilis eſſet, ſtrenuum ſibi videri virum, tandemqve multis ultro citroqve habitis ſermonibus, filiam deſpondet. Sigurdus valetudinem Palneris excuſans, feſtivitatem nuptiarum in Fionia celebrari, ut Comes permitteret, oravit, eoqve ipſe ſponſam qvam pompoſiſſime ducere dignaretur, neqve enim ei vel opes ad ſumptus, vel animum ad magnificentiam defuturum, id qvod etiam Comes benignè permiſit. Inde Sigurdus domum reverſus, Palneris tam læto nuncio animum â mærore ad convivii pro Comitis ſuaqve magnificentia apparatum inſtruendum convertit, Conſtituta die, Sponſam magna pompa Comes in Fioniam ad Sponſum deducit nuptiisqve magna ſolennitate celebratis ei jungit. Cum autem primum genialem lectum conſcenderet, arctior eam ſomnus complexus memoratur; experge facta, qvæ per qvietem viderat marito expoſuit. Videbar mihi, inqvit, hoc in prædio ubi nunc ſum conſtituta, telam poſſidere lineam,

colo-

colore cinereo, cujus exiguam texueram partem, cumqve pectine denſarem, inter pondera, (illa enim ad extendenda ſtamina appendi ſolebant) ê media tela & qvidem ſtamine poſteriori, unum decidit, qvod ut appenſura reſumſi, ſingula in humana capita converſa viſa ſunt: id vero qvod manu tenebam perfecte novi. Qværenti cujus, Regis Haraldi, reſpondit. Lætatus viſione Palner, ſomnium illud qvam nullum malle regeſſit; id qvod illa pariter probabat. Convivio autem tanto qvo libuit tempore celebrato, Comes inſignibus donatus muneribus, ad ſua revertit. Cum primo ſpes prolis affulgeret ex novo matrimonio ſtirps fuit virilis, parentes de patris aviqve nomine Palnatokium appellarunt. Hic in Fionia educatus, magni ingenii acuminisq; juvenis, popularium favorem â teneris ſibi conciliavit, patrui Akii vultum lineamentaq; ſuis exprimebat. Jamqve ad virilem prope ætatem pervenerat, cum pater morbo implicatus de vita decederet; itaqve ſolus omnium paternorum bonorum hæres, rem familiarem cum matre adminiſtrat, neqvaqvam tamen intermiſſo, illis temporibus uſitatiſſimo, piraticæ rei ſtudio. Nam cum primum per ætatem licuit, varias nationes armis qvavis æſtate laceſſivit. Hac tempeſtate occidentalis Angliæ provinciæ (parti credo) qvæ noſtratibus olim Bretlandia dicebatur, (Cornavia eſt) præfuit Comes nomine Stephanus, filia ei Olufa, ſapientia atqve plurimo fæminæi ſexus decore, cæteras provinciæ ejus virgines ſuo tempore præſtans. Qvi Cognito, tam celebrem piratam propediem cum duodecim probè inſtructis armatisqve navigiis affuturum, conſultis amicis, Biornum â Bretlandia patria Bretskium ſeu Britonem dictum ſocium atqve conſiliarium miſit, cum mandatis, ut qvam humaniſſime

eum

eum ad magnificum invitaret convivium, amicitiæqve jungendæ, & a popularibus omnis armorum injuriæ abſtinendæ, auctor eſſet. Accipit oblatam conditionem Palnatokius, magnoqve ſuorum comitatu ad Comitem iter flectit, ubi opiparo convivio excipitur. Ibi viſa filia hoſpitem amore ſui accendit, qvam ſibi in conjugem depoſcens, mox â patre impetravit, tactusqve ê conviva gener, convivium in nuptialem feſtivitatem convertit. Comitis deinde titulo ornatus, dimidia ditionis parte, modo ibi permanere vellet, oblata, integram ſucceſſionis jure, qvod ſola filia hæres eſſet, poſt obitum ejus nacturus, qvod ſupererat æſtatis inſeqventemqve hyemem ibidem tranſegit. Proximo vere, cum in patriam ſe reverti ſtatuiſſe palam feciſſet, ante profectionem Biornum Bretskium, ſocero jam ſeneſcente in adminiſtranda provincia adjutorem, ſi forte ante reditum ſuum fatis concederet, ditionis totiusqve uxori ſuæ debitæ hæreditatis procuratorem cuſtodemqve, qvoad ipſe rediret, conſtituit. Inde cum uxore proſpera navigatione in Fioniam delatus, domum rediit, omiſſoqve piraticæ ſtudio, qvieti ſe dedit, vir inter Danos nominis clariſſimi, omniumqve, uno tantum excepto Rege Haraldo, ſapientiſſimus vulgo habitus. Neſcio an crudele Regis imperium, qvo Palnatokius ad excutiendum ſagitta impoſitum proprii filii vertici pomum, & alia vice ê cacumine montis Kollæ, pandis trabibus in curſum ſe concitare adactus, a Saxone perhibetur, inter veteris odii irritamenta referam, cum neutrum veritati litet. Nam poſtqvam uxorem accepit, filiumqve ex ea ſuſtulit, Palnatokius eo potentiæ provectus videtur, ut talibus injuriis pronus non eſſet, prudentior qvoqve, qvam ut ſe Regis, & inviſi & ſuſpecti arbitrio divexan-

dum ultro offerret. Nobis Saxonis de his hiſtoriam ſubnectere fas eſt, licet neqve Pontanus, nec Mevrſius, imo nec „ipſe Hvitfeldius ſuis eam inſerre dignati ſint. Nec ſilentio „implicandum, inqvit, qvod ſeqvitur. Toko qvidam ali- „qvandiu Regis ſtipendia meritus officiis, qvibus commili- „tonum ſtudia ſuperabat, complures virtutum ſuarum ho- „ſtes effecerat. Hic forte ſermone inter convivas temu- „lentius habito, tam copioſo ſe ſagittandi uſu callere jacta- „bat, ut pomum qvantumcunqve exiguum, baculo é di- „ſtantia ſuperpoſitum, prima ſpiculi directione feriret; qvæ „vox primum obtrectantium auribus excepta, Regis etiam „auditum attigit. Sed mox principis improbitas patris fi- „duciam ad filii periculum tranſtulit, dulciſſimum vitæ ejus „pignus, baculi loco ſtatui imperans. Cui niſi promiſſionis „auctor primo ſagittæ conatu pomum impoſitum excuſſiſ- „ſet, proprio capite inanis jactantiæ pænas lueret. Urge- „bat imperium Regis, militem majora promiſſis edere, a- „lienæ obtrectationis inſidiis, parum ſobriæ vocis jactum „carpentibus. Itaqve ex dictis etiam, non dictorum effectui „obligatur, evenitqve ut conatus ſuos ad id, qvod minus „præſumebat, erigeret, & qvod parum profeſſione coluerat, „plenius experientia celebraret. Neqve enim ſolida virtus, „tametſi detrectationum laqveis implicata, juſtam animi fi- „duciam abjicere potuit. Qvin etiam eo certius, qvò diffi- „cilius, experimentum accepit. Exhibitum itaqve Toko „adoleſcentem attentius monuit, ut æqvis auribus, capite- „qve indeflexo qvam patientiſſime ſtrepitum jaculi venien- „tis exciperet, ne levi corporis motu efficaciſſimæ artis ex- „perientiam fruſtraretur. Præterea demendæ formidinis „conſilium circumſpiciens, vultum ejus, ne viſo telo terre-

„retur

retur,avertit. Tribus deinde ſagittis pharetrâ expoſitis,pri-“
ma, qvam nervo inſeruit, propoſito obſtaculo incidit. Cui“
ſi fortuna caput adoleſcentis objeciſſet, haut dubiè in pa-“
tris periculum nati pæna recideret, ſpiculiqve error per “
cuſſorem percuſſi exitio ſociaſſet. Virtutem ergo patris“
an ingenium filii impenſiori admiratione proſeqvar,ambi-“
go, qvorum alter artis ſuæ prudentiâ parricidium cavit, “
alter corporis animiqve patientiâ ſibi ſoſpitatem peperit, “
patri pietatem ſervavit. Enimvero juvenile corpus, ſe-“
nilem animum roboravit, tantum fortitudinis in expectan-“
do jaculo exhibens, qvantum patriæ pater in emittendo“
præbuerat. Itaqve conſtantiæ ſuæ beneficio, ne ſibi ſpiri-“
tus, patri ſalus, eriperetur, effecit. Interrogatus autem a“
Rege Toko, cur plura pharetræ ſpicula detraxiſſet, cum“
fortunam arcus ſemel duntaxat experimento proſeqvi de-“
buiſſet? Ut in te, inqvit, primi errorem reliqvorum acu-“
mine vindicarem, ne mea forte innocentia pænam, “
tua impunitatem experiretur violentia: qvo tam“
libero dicto, & ſibi fortitudinis titulum deberi“
docuit, & Regis imperium pæna dignum oſtendit.“
Sed iis neceſſitatum procellis, paulo poſt, par ma-“
li tempeſtas implicuit. Haraldo enim ejus ſe artis,“
qvâ Finni nivales ſaltus peragrant, peritiorem ja-“
ctanti, Toko in conſimili genere laudis ſuam auſus confer-“
re virtutem, apud Kollam rupem editæ profeſſionis expe-“
rimentum præbere compellitur. Sed qvod minus exerci-“
tio celebraverat, plenius â virtute mutuatus eſt. Eminen-“
tis enim ſcopuli cacumine conſcenſo, exiguo ſe fuſti cre-“
didit, lubricasqve plantis tabulas adaptando, rapidum in“
præceps vehiculum egit. Cui præcipiti raptu in præru-“

„ptos ſilices actus, nihilominus debitum ejus regimen in-
„trepida manu continere ſuffecit. Neqve illi aut periculi
„magnitudo, aut ullus animi ſtupor, qvo minus firma ſe
„corpore contineret, officere potuit. Exterruiſſet alium
„conſpecta præcipitii immenſitas, atqve ante ipſum pericu-
„li ingreſſum plena metus hebetudine confeciſſet. Tandem
„illiſo cautibus vehiculo, cui inſiſtebat, excuſſus, fortuito
„fuſtium fragmento ſolidum incolumitatis præſidium re-
„perit, fatoqve alioqvi propinqvus felici naufragio inſpera-
„tam ſalutis anchoram apprehendit. Enimvero acrius clivo
„impactus, perfracti vehiculi damno tutum curſitandi even-
„tum habuit. Niſi enim impetum ejus invia petrarum
„robora, vaſtæqve voragines interpellaſſent, haut dubiè
„procurſum ſubjectum rupi pelagus excepiſſet, ubi â nautis
„exceptus, inviſo Regi triſtiorem fortuna ſua famam reli-
„qvit. Vehiculi qvoqve fragmenta â navigantibus inter un-
„das reperta, falsò periculi ejus fidem auxerant. Ipſe vero
„ſuſpectam Haraldi præſentiam reputans, qvod virtuti ſuæ
„præmiorum loco pericula proponi cognoſceret, ſtudiorum
„ſuorum exercitia ad filii ejus Svenonis militiam contulit.

Utrumqve hoc confictum videtur; prius enim non ex Hiſtoria Helvetiorum de Wilhelmo Tellio, qvi Saxone poſterior vixit, ſed Olafi Tryggvini, de Endridio Panſa, mutuatum, qvi, qvo hunc ad fidem Chriſtianam converteret, ſororis ejus filium unice dilectum ſtipiti alligandum curavit, calculumqve vertici impoſitum, ipſe jaculo excuſſit, ſine ullo pueri damno, juſſitqve imitari, aut ſe victum confiteri, ſimulqve Chriſto conſecrari; hoc enim ſolum certamini præmium propoſitum erat: qvi abſtractus matris propinqvorumqve precibus, experiri non ſuſtinuit. Poſterius

ex

ex fabula de Hemingo Juvene deſumtum, qvem Haraldus Strenuus, Norvegiæ Rex, in Halogia e ſummo montis jugo, ſuper conſtrata nive declivia, ligneis aſſeribus decurrere juſſiſſe traditur, de qvo oda adhuc ſuperſtes circumfertur.

CAP. XVI.

Haraldus Rex ex inopi fæmina Svenum progenerat, filiumqve agnoſcere detrectat, inde Palnatokius occaſionem arripit, ad præſtruendam viam ultioni, qvam ob patrui cædem diu meditatus videtur.

Evenit forte, cum Rex pro more regni provincias luſtraret, ut invitatus ad convivium â Palnatokio, delectam miniſterio ſuo fæminam, nomine Æſam, â ſuendi artificio, patria lingva ſaum dicto, Saumæſam appellatam, cætera pauperem, ſed muliebrium artium haud qvaqvam rudem, dum longiores ibi moras nectebat, imprægnaret, deinde cum magnis muneribus donatus diſceſſiſſet, ubi uterum ferre viſa eſt, remotis arbitris, qværenti Palnatokio confeſſa eſt, ſe ex Rege concepiſſe, id vero præter eum indicaſſe nemini, ſed nec ei qvidem detegere auſam, niſi qvæſiviſſet. Non igitur, reſpondebat, in poſterum mendicabis, ſed mecum qvoad enixa eris, priſtinamqve ſanitatem recuperaveris, manebis. Filium deinde peperit, Svenum poſtea vulgo appellatum. Hunc Palnatokius, matre domi ſuæ remanente, magnificè educavit, pari ac propriam ſobolem amore complexus. Jamqve trimus erat Svenus, cum Rex iterum Fioniam circumiret, ad Palnatokium qvoqve diverſurus. Qvo ille cognito, Saumæſam his præceptis inſtruit. Et tu

qvidem Regem, inter convivandum accedito, filiumqve tecum ducens libera voce appellato: Hunc ego puerum mecum duco, qvem præter te unum ex me progeneraſſe agnovi neminem. Tu autem eventus ſecura, libertatis in loqvendo minime obliviſcere, fiducia qvantulicunqve auxilii, qvod præſens experiere. Illa ut edocta erat Rege adito, cum hæc retuliſſet, Rex qvænam illa eſſet mulier, qvæ ſibi hæc intentare non erubeſceret, qvæſivit; qva ſine cunctatione nomen profitente, Extremæ, inqvit, audaciæ fæmina, ſi pœnam declinare velis, his in poſterum deſiſte. Tum Palnatokius; non temere ſed neceſſitate ad hæc compulſam exiſtimem, neqve illam, licet egena ſit, vulgarem meretricem, ſed bonam potius mulierem comperimus, cujus fidem ſecuti, in tui gratiam receptum ei præſtitimus ſuſtentavimusqve. Rex præter ſpem hæc eum in ſe impingere, reſpondit. Non impingam, regeſſit Palnatokius, puerum tamen perinde ac filium tuum fovebo. Nec ultra hac de re locuti ſunt; nec deinde Rex abitum diſtulit, diſcedens nullo munere afficitur. Exinde favor Regis in eum, gratiaqve, qva polluiſſe viſus eſt, deferbuit. Svenus autem cum filio Palnatoki Akio, ex legitima uxore nato, in ſocia educatione adolevit.

CAP. XVII.

Mira Sveni ferocia, a Palnatokio inſtincti, deſcribitur.

Qvindecim annorum erat, cum ſvadente nutritio, ut viginti comitibus ſtipatus, ad Regem proficiſceretur, ſeqve ejus filium profeſſus, ut ſe viciſſim eundem agno-

agnoſceret, expoſtularet. Hæc exeqventi ſatis jam ſibi conſtare reſpondit Rex, haut diſſimili matre natum eſſe, ſatuum qvippe videri, matriqve ſimillimum. Ad hæc Svenus: Cum hæc abnuas, tribus ſaltim navibus cum milite armato, reliqvoqve apparatu inſtrue: ê patria nunc profecturum, longeqve ſorte mea, vel officio tuo, rem minorem expeti puta, cum te meum eſſe patrem certo ſciam, nutricio qvidem, ut ſorte eminentiorem, ita etiam ſangvinis nexu devinctiorem. Is tamen nec pauciora, nec minora mihi navigia abituro dabit. Rex libenter abitum ejus ſe mercaturum reſpondit, oculisqve ſuis ultra ſubjici prohibuit, tresqve, ut poſtulaverat, naves reddidit, centumqve viros armatos, qvos ex circumforanea & vagabunda hominum turba colligi mandavit. His impetratis ad nutricium rediens, ut negotium ceſſerat, retulit. Ille vero, qvod eventus ſpem ſuam non fefellerit, ei gratulatus, totidem ei naves nauticosqve ſocios, armis vero & neceſſariis inſtructiores ſuffecit, addito conſilio, ut prima militiæ rudimenta intra paterni regni pomæria latrocinando, procul tamen â paterna domo, deponeret, populationibus, prædiis, incendiis per univerſam æſtatem, pro virili, ſingulas provincias infeſtaret; ad ſe vero imminente hyeme rediturus, tutum haberet receptum. Paruit præceptis Svenus, tantumqve regni ſpatium, qvantum poterat, prædando emenſus eſt. Delata inde fama latrocinii ad aures Regias, judicium ei expreſſit male collocati ſubſidi, qvod ei, maternum genus referenti, ad mala qvam bona procliviori attributum eſſet, nec ultra inſultibus ejus reprimendis operam impendit. Sub hyemem, Svenus ſpoliis, ê paterna ditione tam fœdo commento partis, locuples, reditum ad nutricium molitur, ultricibus tempeſtatibus illarum

rum navium vecturæqve jacturam fecit, qvas patri impudica flagitatione extorſit, reliqvas, qvas Palnatokius, odione patris, an amore illius, largitus eſt, incolumes ad eum in hyberna reduxit. Sub reditum veris ſvaſit, ut patrem denuo aggreſſus, ſex naves, delecta militum nautarumqve manu inſtructas, ferociter depoſceret, nec verbum ullum efferret, qvod metum, vel moderati ingenii ſigna ulla indicaret. Obſecutus mandato Svenus, ut poſtulata expoſuit; bene & graviter impudentem Rex pronunciavit, qvod cum impetratis copiis, tam fœde ſuperiori anno abuſus, in ſuorum ſubditorum perniciem vim omnem verterit, jam duplo majores â ſe expetere non erubeſceret. Atqvi hinc, reſpondit Svenus, ne pedem qvidem efferam, ni compotem me voti reddas, qvod ſi omnino abnuas, ſufficiet mihi nutricius vires qvidem haut contemnendas, qvas ad tuos ſubditos oppugnandos, ditionemqve tuam depopulandam, fœdandam, exurendam, omniqve calamitate afficiendam, me converſurum minime dubitabis. Accipito igitur, reſpondit pater, ſex naves, cum centuriis duabus militum; protinusqve abi, meoqve te conſpectui in æternum ſubduc. His auxiliis inſtructus, ubi ad Palnatokium rediit, tantundem ab eo impetravit, qvi etiam abeuntem monuit, partes tantum Daniæ prædæ ſibi deſtinaret, tantoqve iis ferocius incumberet, qvam ſuperiori anno, qvanto numero magis militum polleret, nec per intervalla direptionibus vacaret, continue latrocinando, ne reſpirandi qvidem tempus illis indulgeret, nec ultimas latrocinio aptos anni partes præcideret, ad extremos autumni terminos eos fatigaret, tum demum ad ſe rediret. Impigre Svenus hæc mandata executus eſt, tantoqve fervore furoreqve noctes diesqve graſſatus eſt, ut cædibus

bus incendiisqve Hallandiam Sialandiamqve paſſim impleret. Tantæ ſtragis rumor cum latè pervaderet, ſolus Rex percepiſſe diſſimulavit. Svenus autem præcipite autumno ſceleſta ſpolia ad Palnatokium, abſqve ulla ſuorum clade, retulit, ibiqve hyemem tranſegit. Appetente vere, cum omnibus copiis, duodenarum navium claſſe patrem ut accederet, Palnatokius hortabatur, omniqve pudore exuto verbisqve aſperis, qvæ animi ferocia ſuggereret, duodenas naves expedito milite commeatuqve qvam inſtructiſſimas poſtularet: tergiverſantem ad prælium cum præſentibus copiis provocaret. Ad qvem cum Svenus, perinde ut nutricius imperavit, profectus poſtulata ordine expoſuiſſet, hoc magni ſupercilii reſponſum reportavit: Eqvidem tibi alium impudentia parem haud qvaqvam novi, qvi me accedere haut dubitas, cum ſis latrocinii furtiqve convictus, nec ambigam, qvin, qvantum in te eſt, hominum ſis omnium peſſimus: fruſtra igitur copias, fruſtra ut te filium agnoſcam exſpectabis, cum certus ſim te ex familia mea minime ortum eſſe. Imo vero, reſpondit Svenus, tuus ego filius ſum, nexusqve ſangvinis inter nos certiſſimus intercedit, ideo tamen tibi, petitioni meæ ſubſcribere renuenti, haut omnino parcam; hic locus hoc momento litem noſtram dirimet, mecum enim his copiis ſuccincto, qvas præſentes conſpicis, manum conferes, nec effugii locum ullum invenies. Virum te, reſpondit Rex, ad pericula intentanda obeundaqve animo eſſe intrepido, nec ingenio abhorrenti ab iis, qvi genus ab iis ducunt, qvi inter mortales haut minimi reputantur, animadverto, itaqve voti in præſens compos eſto, mox Dania excedito, nec unqvam reditum meditator. Viginti qvatuor navium claſſem ad nutricium Svenus reduxit,

qvi tam belle rem periculi indubitati ceſſiſſe gaviſus. Jam, inqvit, ambo qvid facto opus ſit providebimus, pauloqve poſt: Tota, inqvit, Dania, ſola Fionia excepta, ſtativis tuis deſtinata, hac æſtate latrocinio tuo patebit, ego vero interim in Bretlandiam ad Stephanum ſocerum meum cum duodecim navibus me conferam: tu vero meorum conſiliorum memor eſto; adulta namqve æſtate cum copiis meis tibi adero, neqve enim me fallit cum armata manu tibi patrem occurſurum, nec ultra ſubditorum ſuasqve injurias toleraturum; tu modo cave, ut licet numero viribusqve minor, fugæ conſilia proſpectes, pugnamve detrectes. His conſiliis inſtructus, cum ſimul naves ê portu molirentur, ſua qvisqve via navigando progreſſi, ab invicem ſeparantur. Svenus Daniæ diripiendæ perdius & pernox incubuit, hominum pecudumqve præda ingens é patria ditione ad naves ducta, cædes ſtragesqve ubiqve, rura paſſim vaſtata. Indigenæ fuga ſibi conſulentes ad Regem converſi, calamitates ſuas lamentando expoſuerunt, auxiliaqve ad avertendam tantam peſtem implorarunt; qvem tandem haut iniqva poſtulari animadvertentem, jam nimium ad flagitia Sveni conniviſſe, eiqve vires ad illa cumulatius perpetranda ſubminiſtraſſe pænitebat: qvadraginta itaq; naves contra eum in prælium eduxit, animo eum cum univerſo exercitu mortalium numero eximendi, ipſe ſe expeditionis ductorem injuriarumqve publicarum privatarumqve vindicem exhibuit, infeſtaqve claſſe cum reqviſiviſſet, tandem in inſula Borgundarholmo asſeqvitur.

CAP.

CAP. XVIII.

De bello Haraldi cum Sveno, cædeqve Regis.

Hiſtoriæ Olafi Tryggvini relatio, Scriptorumqve aliorum teſtimonia.

Poſtqvam claſſes per veſperam in unum locum coiviſſent, congreſſuqve tenebris prohiberentur, nox in ſtativis peracta pugnam in ſummum diei poſterioris mane diſtulit. Tum vero abſqve cunctatione, ut primum per lucem licuit, navali prælio, ſummis ab utraqve parte viribus, per integrum diem in noctem uſqve certatum eſt. Duodecim a parte Sveni, decem ab altera, naves debellatæ. Ipſe Svenus in interiorem ſinus receſſum ſub veſperam compulſus eſt, Rege, ſinu ulteriori navibus in pontis modum juncto, exitum præcludente, eumqve anguſtiis incluſum obſeſſumq; tenente, cædiqve cum ſociis, illucente die, deſtinante. His anguſtiis preſſo, eadem nocte, cum claſſe viginti qvatuor navium ſupervenit Palnatokius, navesqve ad averſum promontorii latus applicat, velisqve tegit; qvo peracto, gladio tantum cinctus, telaqve gerens, ſolus in terram exſpatiatur. Ibi Regem intra ſilvam, undecim ſatellitibus comitatum, corpus in valle qvadam ad focum calefacientem, veſtibus ſubſtratis, depreſſis humeris, dum pectus foveret, elevatisqve poſterioribus, in genua procumbentem, ê tenebris conſpectum, voceqve notatum, telo arcu emiſſo, hoc ſitu trajicit, qvod clunibus exceptum, penetrato corpore, medio ore exertum curſum ſtitiſſe perhibetur, Rege protinus exanimi jacente; defunctusqve matris ſomnio Palnatokius, tametſi ſerâ, gravi tamen innocentis

 patrui,

patrui, occiſi vindictâ viſus eſt. Inter Comites Regis, Fiolner, jam præſens, eminebat; qvi attonitis cæteris; qvisqvis inqvit, tam execrandi facinoris auctor eſt, meritò eum fortuna deſtituit, neqve enim ſine qvodam prodigio cædes hæc peracta videtur; qvid igitur conſilii in præſens capiendum videtur, expromite. Omnes ei primas detulerunt, qvod eſſet eorum prudentiſſimus. Is exceptum ore Regio telum, aureo filo obvolutum, diligenter cuſtodivit, illudqve mortis genus ut ignominioſum reticendum monuit, prælio potius occiſum Regem diſpergendum. In hoc omnes conſentiebant. His perceptis, Palnatokius, qvi probè patruum Fiolnerem cognovit, ad ſuos rediit, nemini qvæ perpetraſſet indicans, aſſumtisqve viginti comitibus, eadem nocte per tranſverſum promontorium ad Svenum profectus eſt, eiqve in qvanto periculo a patre circumſeſſus verſetur, in craſtinum morti deſtinatus, ad animum revocat, auxilium protinus ſuum pollicetur, jubetqve, ut ſtatim levatis anchoris, adque latera ſingularum navium religatis, lucernis, illuni & obſcura nocte, in ſingulis puppibus erectis, celeri remigio, claſſem regiam perrumpant, tantoque impetu remi concuſſi ſunt, ut tribus navibus Regiis ſubverſis, omnes in iis nandi imperiti fluctibus abſorberentur, Svenusque cum claſſe incolumis evaderet, obſidentesque prius Regios, vice repente verſa, auctus Palnatokii claſſe, ipſe obſideret; nec tamen ei, vel ulli præter ſolum Palnatokium in exercitu ejus, quicquam de Regio fato conſtabat. Primo diluculo, legati ê claſſe Regia advenientes, nunciant Regem prælio cæſum. Reſtant ergo duæ conditiones, reſpondit Palnatokius; aut enim vobis Svenus loco patris Rex habendus erit, aut nobiscum certandum. Facile in prio-

rem

rem conſenſum eſt, cum non eſſet alius, cujus jus adverſus Svenum propugnarent, (fratre forte mortuo, qvem ad Sembos conceſſiſſe Saxo memorat.) Univerſi itaqve Duces, cum exercitu, ſacramentum præſtiterunt. Inde Palnatokius eum per univerſam Daniam ducens, ſingulis conventibus, ſolenni ritu Regem proclamari, juramento in obſeqvium ejus ubiqve exacto, curavit. Hunc exitum Haraldi Cærulidentis, Hiſtoria Olafi Tryggvini codicis Flat. pag. 80. memorat. Mevrſius, paucis comitatum induciarum tempore in vicino Helganeſiæ nemori, dum onus alvi deponeret, a Tokone ſagittario ex inſidiis telo ictum, ac lethaliter vulneratum, naviqve impoſitum, Julinum deportatum, ibiq; diem obiiſſe aſſeverat; favetqve illud prædictæ hiſtoriæ, de vulnere obſcænis partibus accepto.

Libet etiam aliorum Islandorum narrationes adſcribere. Chronica Norvegica MSS. hæc ita referunt. Sveinn« ſon Haraldz Konongs, ſa er ſidan var calladr Tiugu ſcegg,« beiddiz Rikis af Haraldi Konongi fedr ſinom, En þa var« enn ſem fyrr, at Haraldr Konongr vildi ecki tviſcipta Da-« naveldi, oc vill ecki riki ſa honom; þa aflar Sveinn ſer« herſcipa, og ſagdi at hann vill fara i viking. Enn er lid« hans com allt ſaman, oc þa var cominn til lids vid hann« af Jomsvikingom Palnatoki, þa helt Sveinn til Sialandz« oc inn i Iſafiord, þa var þar i for med ſcipom ſinom Ha-« raldr Konongr ſadir hans, oc biogguz at fara i leidangr.« Sveinn lagdi til orroſto vid hann, vard þar bardagi micill,« dreif þa lid til Haraldz Konongs, ſva at Sveinn vard ofr-« lide borinn; oc flyde hann, þar fecc Haraldr Konongr« ſar þau er hann leiddi til bana, Sidan var Sveinn tekinn« til Konongs i Danmorc. Hoc eſt: Svenus, Regis Haral-«

„di filius, qvi poſtea Tiuguskegg (ſeu Furcatæ vel Admor-
„ſæ barbæ) dictus eſt, regnum (portionem regni, nam dy-
„naſtia qvælibet hoc nomine venit) â patre ſuo expoſcebat.
„Verum tum pariter ut antea (tempus intelligit cum Gull-
„haraldus idem poſtulavit) Haraldus Daniam cum alio di-
„videre, aut qvicqvam regni ei concedere renuebat. Svenus
„itaqve claſſem bellicam ſibi ſpecie piraticæ expeditionis,
„comparavit. Cumqve apparatus confluxiſſet, Palnatoki-
„uſqve ex Jomicis piratis auxilio adeſſet, Sialandiæ ſinum
„Iſafiordum ingreſſus, ibi patrem cum claſſe ad expeditio-
„nem qvoqve piraticam paratum offendit, qvem Svenus
„ſtatim invaſit, ingensqve pugna exorta eſt. Cumqve au-
„xiliares copiæ undiqve Haraldo aggregarentur, victus Sve
„nus in fugam ſe conjecit. Eo tamen prælio Haraldus vul-
„nera accepit, qvæ mortem ejus cauſabantur. Exinde Sve-
nus in Regem Daniæ aſcitus eſt.“

Knytlingorum Hiſtoria hæc Cap. IV. ita exponit.
„Sveinn ſon Haraldz Konongs Gormsſonar, beiddiz Rikis
„nockors af Haraldi Konongi fedr ſinom, enn Haraldr Ko-
„nongr unni hanom litit, þvi at hann var fridluſon, ok
„villdi hann ecki riki ſa hanom til forrada, enn er Sveinn
„gerdiz fullkominn madr, þa fèck hann ſer ſcip ok lid, ok
„heriadi vida bædi utanlandz ok innanlandz, þa vard Ha-
„raldr Konongr reidr hanom, ok ſafnadi liþi i moti ha-
„nom, þa var komin til lids vid Svein Palnatoki foſtri hans
„ſom ſegir i ſogu Jomſvikinga, ok heldu þeir þa til Sie-
„landz, ok inn i Iſa fiord, þar var þa fyrir Haraldr Ko-
„nongr med Skipum ſinum, Sveinn lagdi þegar til orroſto
„vid hann, dreif þa lid til Haralds Konongs, vard þarr orro-
„ſta mikil, enn Sveinn vard ofrlidi borinn, ok flydi hann. I

„Þeirri

þeirri orroſto feck Haraldr Konungr banaſár, ok var hann "
ſkotinn oro til bana, ok var hann Fyrſtr Dana Konunga "
Grafinn i Vigda jord, þa hafdi hann verit Konongr "
LXXX vetra, XXX vetra at lifanda Gormi Konongi fedr "
ſinom, L vetra ſidan. H. e. Svenus Regis Haraldi Gor- "
mii filius, aliqvid regni â patre ſuo poſcebat, ſed Rex Ha- "
raldus parum ei favebat, eo qvod illegitimus eſſet, noluit- "
qve qvicqvam regni ei adminiſtrandum dare. Cum au- "
tem Svenus in virum perfectum evaſiſſet, claſſem copias- "
qve comparavit, intraqve & extra regni limites infeſta "
arma protulit. Tunc Rex Haraldus ei infenſus, exerci- "
tum adverſus eum collegit. Acceſſerat tum Svenum cum "
auxiliis nutritius ejus Palnatokius, ſicut in Hiſtoria "
Jomſvikingenſium proditum eſt. Ad Sialandiam vela ver- "
tentes, Iſafiordum ingreſſi ſunt, ubi tunc Rex Haraldus "
cum claſſe excubabat, qvem Svenus actutum adortus eſt. "
Ad Haraldum autem auxilia confluxerunt ita ut ingenti "
pugna incrudeſcente, Svenus ſuperatus in fugam ſe con- "
verteret. Iſto conflictu Haraldus lethale vulnus accepit, "
ſagitta ad necem uſqve ſauciatus. Is primus omnium Da- "
niæ Regum in conſecrata humo ſepultus eſt, cum octo- "
ginta hyemes regnaſſet, triginta vivo patre ſuo Gormo, "
poſtea qvinqvaginta. "

Ab his editio Danica Olai Vormii non diſſentit.

His ſubnectam aliorum Scriptorum teſtimonia de Haraldo Cærulidente. Locum ex Vilhelmi Gemeticenſis Lib. IIII. Cap. IX. ſupra Cap. VII. de jure Haraldi in Angliam &c. expoſuimus, qvo Lectorem remittimus. Cumqve huc faciat Cap. IV. Svenonis Aggonis de Haraldo Blatand. & Scriptoris anonymi, aliqvot Regum Daniæ genealogias & ſeries

ries continentis, ab Henrico Ernſtio illuſtrati, utrumqve
„apponam. Hic Haraldus, (verba ſunt Svenonis Aggonis)
„multo poſt tempore, regali ſceptro regni gubernabat im-
„perium. Is primus idololatriæ reſpuens ſpurcitias, Chriſti
„crucem adoravit. Qvi dum exercitum emitteret, ad im-
„maniſſimam petram protrahendam, qvam matris tumulo,
„ob memorale inſignium, deſtinavit erigendam; inteſtina
„orta ſeditione, tum propter novæ religionis ritum; tum
„propter ſervitutis jugum intolerabile, popularis cæpit ef-
„fervere tumultus, adeo ut ipſum Regem plebs inſana re-
„gno expelleret. Qvi curſu celeri fugam arripiens, pedi-
„bus enim timor addidit alas, ad Sclaviam uſqve profugus
„commeavit, ibiqve pace impetrata, primus urbem fundas-
„ſe dicitur, qvæ Hynnisburg nuncupatur, cujus mœnia ab
„Archipræſule Abſalone ego Sveno ſolo conſpexi æqvari.
„Qvo exulante filius in regno ſurrogatur Sveno, cognomi-
„ne Tiuguſkegg, qvi Sanctæ Trinitatis fidem, qvam pro-
„fugus tamen pater abjecerat, verus Dei cultor amplexus
„eſt, ſacriqve baptiſmatis undâ renatus, verbi Divini ſemi-
„na per univerſam regionem propagari juſſit. Succeſſu
„temporum interveniunt legati, qvi operam darent, ut
„diſcordia inter patrem & filium, regio regnantem ſolio,
„exorta, ad concordiam revocaretur. Statuit igitur Sveno
„Rex, ut pater cum Sclavis ſibi in Gröneſund de pace tra-
„ctanda occurreret. Qvò cum Rex ad terminum conſtitu-
„tum cum Danorum exercitu adveniſſet, patris diu præſto-
„latur adventum. Interea Haraldus profugus, cujusdam
„Palnonis Tokki, conſiliarii ſui ſuggeſtione monitus, Libur-
„num remis aptiſſimam ſibi fabrefecit, qvam nautis inſtruxit
„probatiſſimis, cui & gubernatorem præfecit præfatum
„Palno-

Palnonem, qvi Regi feſtinanter accelerabat occurrere. Is "
cum ad Danorum perveniſſet exercitum, ordinatis per fo- "
ros remis, dolum commentatus, puppim ſuam puppi Re- "
gis juſſit applicari. Qvibus ſic ordinatis, primâ illuceſcen- "
te aurorâ Regem, in reclinario dormientem clam excita- "
vit. Expergefactus autem Rex ſciſcitatur qvidnam eſſet? "
Nos, inqvit, patris tui legati ſumus, ad te de pace tractan- "
da tranſmiſſi. Qvod cum didiciſſet, patris ſtatum diligen- "
tius cupiens percontari, paulo extra navis ſuggrundam "
caput exſeruit. Qvem illico prætaxatus Palno Toki, per "
aures & capillos corripiens, licet fruſtra renitentem, in "
ſuam navim tunc potentior attraxit invitum, & qvamvis "
pauxillum clamore perſtreperet, cæteris ignaris, valido "
remorum impulſu fugam vehementius accelerabat; nec "
prius laboris pertæſus deſtitit, anteqvam ad urbem præ- "
ſatam perveniſſet. Qvem Sclavi contuentes, populari or- "
ta ſeditione, diverſis captivatum mortibus, exqviſitisqve "
tormentis adjudicabant. Verum pars electa Primatum "
ſaniore præcellebat conſilio. Conſultius namqve autuma- "
bant, cenſu eum plurimo redimendum, unde Sclavia per- "
enniter locuples, exhauſtis Danorum opibus gauderet; "
qvam brevi morte trucidatus interiret. Modicum enim "
communi cederet utilitati, ſi captivus mortis damnaretur "
exterminio. Delegantur itaqve legati, qvi Danis denun- "
ciarent, ut Regem ſuum trino auri & argenti pondere re- "
dimerent, qvod diu exeqvi non diſtulerunt. Nam uni- "
verſo ferme regni cenſu coadunato, occurrentibus in "
Winningha cum Rege captivato Sclavis, Dani Svenonem "
redimere non detrectabant. Aſt ubi cenſus ejus ſolutioni "
non ſufficeret, decreverunt Matronæ, ſuis ornatibus ſum- "

„mam redemptionis explere. Igitur annulos, armillas, in-
„ aures, monilia, torqves, & qvicqvid illis pretioſum erat,
„ Regi liberando impendebant. Qvo expleto Dani â Rege
„ ſilvarum & nemorum, tum primum communia, impe-
„ trarunt. Mulieribus qvoqve, eò qvod prius paternæ hæ-
„ reditatis prorſus eſſent exſortes, ob præſtitum ſibi à Matro-
„ nis favorem, & beneficiorum collationem in poſterum pri-
„ mus tribuit, qvatenus ſoror fratri de cætero in dimedia fa-
„ miliæ herciſcundæ portione communicaret. Omni nam-
„ qve rationi conſentaneum duxit, ſinceræ dilectionis exhi-
„ bitionem, pari remunerationis benevolentiâ compenſare.
Hæc Sveno Aggonis. Seqvitur Anonymus: Haraldus, in-
„ qvit, hic cognomento Blachtent, id eſt, dens lividus, vel ni-
„ ger, qvi qvartus poſt Guermundum ex pagano Chriſtia-
„ nus eſt effectus, ſed apoſtatavit. Qva ex re regno pulſus
„ ad Slavos tunc paganos confugit, & crebris incurſibus re-
„ gnum Danorum infeſtavit Sed non prævaluit.

CAP. XIX.

De diſſidentium relationum qvalicunqve conciliatione.

Qvo facilius odii cauſas, qvæ in exitium Regis Haraldi tandem deſiverunt, ſeriemqve & nexum univerſum aſſeqvamur, non ſolum eorum, qvæ hactenus dicta ſunt, brevis repetitio, ſed etiam qvorundam qvæ poſtea evenerunt expoſitio, ex Hiſtoria Olafi Tryggvini, ubi de Jomſvikingenſium ſeu piratarum Jomicorum geſtis agitur, petenda reqviritur. Haraldus ad ſceptra provectus, Akium Palna-

Palnatokii patruum occidiſſe fertur. Eodem anno Palner matrem Palnatokii uxorem duxit. Ipſe Palnatokius, in paterna domo educatus, cum virilem ætatem prope attigerat, patre orbatus, rei familiaris adminiſtrationem aliqvandiu latrociniis interpunxit, qvoad Comitis Britanniæ, jam ſeneſcentis, filiam uxorem nactus, domum devexit, in qva deinde Svenus natus eſt, poſt triennium â patre, ut ſpurius repudiatus, ſed Adamo Bremenſi teſte, anno CMXLVIII puer baptizatus, ætatis vero decimo octavo, cæſo patri in regnum ſucceſſiſſe perhibetur. Hæc ex iis, qvæ hucuſqve narravimus, in compendium redegimus. His Olafi Tryggvini Hiſtoria ſeqventia adjicit; nimirum, poſt biennium a morte Haraldi, Palnatokium invitatum ad funebres Regis epulas, abſentiam, nupero ſoceri ſui, Comitis Britanniæ Stephani obitu, excuſaſſe; Ipſum vero, anno ſeqvente, in aula Regis Sveni, cædis Regis Haraldi reum factum, in Britanniam profugiſſe, eodemqve autumno uxorem amiſiſſe, vere proximo, claſſe piratica, occidentem infeſtaſſe, eamq; ad oras Vandaliæ convertiſſe, Regem autem Burisleifum conceſſiſſe illi provinciam qvandam regni ſui, qvæ de Jomio appellaretur, poſſidendam, ea lege, ut ſedem ibi figeret, obligatus ad defenſionem regni; Tum primum oppidum Jomsburgum ab eo fundatum. Confluxiſſe deinde ad eum Principum Daniæ filios, Comitis nempe Strutharaldi, & Veſetii, Borgundarholmi Prinipis, & omnium noviſſime Akii, Fioniæ Principis filium, ipſius Palnatokii nepotem Vagnum, natum, ut antea dictum, ad minimum, anno poſtqvam Palnatokius Jomsburgum ædificavit. Rex enim Svenus matris ejus nuptias patri ejus conciliaſſe perhibetur, poſtqvam ille Dania profugit. Illum autem anno CMXCI ad annum

ætatis decimum qvintum provectum, anno CMLXXVI natum, Cap. X demonſtravi. Poſt annum autem CMLXXX, expugnatum â Styrbiorno Sveciæ Principe Jomsburgum, eoqve in Svecia cæſo, reſtitutum Palnatokio, ejusqve tutelæ ad finem vitæ ſubjectum. Exceſſum autem ejus, infallibiliter anno CMXCI, Hiſtoria Olafi Tryggvini teſte, convenire certum eſt. Ex his evincitur, ſi vel maximè vulgari calculo largiamur, Regem Haraldum anno CMLXXX cæſum fuiſſe, neutiqvam tamen conſiſtere, Vagnum, qvi qvadriennio poſt natus traditur, anno CMXCI qvindecim annorum fuiſſe, cum ſeptennium non exceſſerit. Ante igitur Regis Haraldi obitum eum natum oportet, Jomsburgum qvoqve conditum, nam urbis ejus origo cum ejus nativitate hic jungitur, cum tamen longe prius condita fuerit. Nec infra fatalem Regis Haraldi annum, Comitis Stephani, Palnatokii ſoceri, obitus ſatis commodè deprimitur, tunc ſeneſcentis, cum Palnatokius filiam ejus nuptiis ſibi jungeret. Sic enim ſola ſenectus vel qvadraginta annos excederet. Nec minus abſurdum eſt, Svenum, anno ætatis decimo octavo, patriam exitiali bello infeſtaſſe. Sic enim (ex recepta de morte Regis Haraldi hypotheſi) anno CMLXII natus eſſet, id eſt annis qvatuordecim, poſtqvam, Adamo Bremenſi teſte, baptizatus erat, & qvo prius natum ſtatuerimus, hoc magis fatalis Regis Haraldi annus exaltatur, cum tamen ſit deprimendus. Cum autem laudata Hiſtoria, iſto ætatis anno, eum cum patre conflixiſſe tradat, diverſa bella inter eos diverſis temporibus geſta fuiſſe facile colligitur. Cumqve illud qvod prius intervenit, in illum ætatis ejus annum incidat, annus nativitatis ejus, ex rationibus gnaviter conqviſitis, qvantum fieri poterit, educendus erit, ubi qvatuor

tuor ſeqventia, concilianda occurrunt. I. Initium regni Regis Haraldi. II. Ætas Palnatokii. III. Annus qvo Svenus ſacro fonte ablutus eſt. IV. Tempus exilio Regis Haraldi habile.

Haraldi regnum improprie aut proprie ſumitur: priori ſenſu procuratio, vel etiam ante eam particula regni, ſorte etiam Regio titulo condecorata, intelligi poterit, utriuſqve exempla in filiis Haraldi Pulchricomi, ut prius oſtenſum, conſpicua ſunt. Illo enim vivo, ſinguli filiorum, provinciis, cum Regio titulo præfecti ſunt. Eiricus autem Blodoxius, ut ex Eigilis Skalliagrimi Hiſtoria facile concluditur, â patre prius collega imperii factus eſt, ſed ultimo triennio totius adminiſtratio commiſſa eſt. Poſteriore ſenſu, ſucceſſio poſt fata patris. Cædes Akii Haraldo regnante perpetrata dicitur. Anno inde elapſo, Palnatokium, (neqve enim prius poterat) natum ſupponam. Iſtius geſta, latrocinia, nuptias, cum Comitis Britanniæ filia, cæteraqve ad nativitatem Sveni, annis novemdecim includam. Hæc â ſucceſſionis, poſt mortem Gormi, initio, anno nimirum, CMXXXV, qvominus computemus, annus CMXLVIII, qvo Svenus baptizatus eſt, obſtat. Secus ipſe Palnatokius tunc vix undecimum annum expleviſſet, in cujus tamen domo jam uxorati Svenus natus eſt. Aut igitur ad procurationis Haraldi initium, aut etiam antecedens tempus, cum portionem qvandam regni, vix tantam, ut Holſatiam fratris Knuti ditionem æqvaret, (qvod tamen â patre poſtea exegerat) rexerat, cædes Akii referenda erit: ſi ad illud, ſupra annum CMXL nativitas Sveni exaltari non poteſt; ſin hoc, annus ei idoneus pro cujuslibet arbitrio deligi poterit, modo is, qvo ê ſacro fonte ſublatus erat, nongenteſimus

 qva-

qvadrageſimus octavus, puerilem ætatem non exceſſerit, qva ratione Wilhelmi Gemeticenſis relatio rejicitur. Nos, qvoniam de regni Haraldi parte ante procurationem incerti ſumus, ab illius initio cædeqve Akii ſingula ſubducimus, hoc temperamento, ut Palnatokio, cum Svenus natus eſt, idonea ætas, Sveno, cum baptizaretur puerilis relinqvatur, utqve octodecimus ejus annus, in id tempus deſinat, de qvo nobis circa Haraldum nihil conſtat. Si enim liqveret, iſtis eum annis ad ſceptra ſediſſe, ejus exilio inhabiles, omnino reputantur. Akium itaqve, primo procurationis ejus anno nimirum CMXX cæſum ſtatuimus. Palnatokium, fine ejus anni natum, Svenum vero anno CMXL (ſi enim ſeqventem natali ejus deligerimus, exilium patris in LIX relatum, anno tantum terminabitur, qvod vix conſiſtit) anno deinde qvadrageſimo tertio, ut vulgo qvæſitum, ab Haraldo improbatum, deinde ante annum CMXLVIII (ſecus ſacro regenerationis lavacro tingi non potuiſſet,) receptum, iterumqve, interveniente forte calumnia, rejectum. Anno autem CMLV. piraticas naves & inſtrumenta a patre accepta, per triennium in uſum latrocinii convertiſſe, ultimo CMLVIII, cum patre conflixiſſe, eumqve regno expuliſſe, inqve univerſum regnum, â populo Regia poteſtate, & titulo ſurrogatum, ſolum biennium ad annum uſqve CMLX regnaſſe. Tum vero patrem reſtitutum vel inde apparet, qvod Richardo Normanniæ Duci Haraldus auxilia miſerit, ut prius dictum eſt. Exinde ad annum uſqve CMLXIV ſatis conſtat eum ad ſceptra ſediſſe; ſeqventes autem proximi, ſexageſimus qvintus, & ſexageſimus ſextus, exilii initio ideo applicari neqveunt, qvod natalem Sveni, in annos qvadrageſimum ſeptimum & qvadrageſimum octavum, referant.

Id vero cum triennio, qvo patri non innotuit, & ſacris Chriſtianis, qvibus eo auctore initiatus traditur, non conſiſtit. Exilii tempore Haraldus profugiſſe ad Slavos traditur, tum vero Palnatokius â Sveno ad eum defeciſſe, urbemqve Jomsburgum auſpiciis ejus condidiſſe, &, dum de pace inter partes concilianda ageretur, eum aſtu captum illuc deduxisſe videtur. Ubi vero de illa convenerit, reſtitutum patrem, portionem tamen qvandam, cum Regio titulo Sveno datam; receptumqve iterum in ejus gratiam Palnatokium, rurſus alia qvacunqve de cauſa excidiſſe, qvam ob adactum paterno corpori telum colligo, aqve illo principio plurima, qvæ de eo poſt funebre Regis Haraldi convivium leguntur, ordienda; qvo & ſoceri Comitis Britanniæ obitus referendus, id qvod Vagni, filii Akii, ætas anno CMLXXXVIII ad duodecim annos provecta facile perſvadet. Tunc enim Rex Svenus patri ejus nuptias procuravit, unde Vagnus poſtea natus eſt, anno videlicet CMLXXVI. Jomsburgum autem a Rege Haraldo, jam in regnum reſtituto, ſive volente, ſive invito, per proditionem, aut alia qvacunqve de cauſa, in Burisleifi poſſeſſionem perveniſſe videtur. Palnatokii deinde gubernationi ab eo commiſſum, qvod fieri non potuiſſet, ſi tunc Regii juris fuiſſet. Urbem tunc exiguam, mæniis, legibus, & delectæ juventutis præſidio, firmaſſe & exornaſſe videtur, & ſi eam â fundamentis, non exſtruxisſet, opinionem tamen primi conditoris inde meruiſſe, tantiſperqve præſediſſe, donec Styrbiornus oppidum, illo forte abſente, expugnavit, eoqve cæſo, iterum recepiſſe. His annis Comitis Strutharaldi & Veſetii filii ad eum acceſſiſſe videntur, idqve vivo Rege Haraldo, Sveni forte ditioni, in alia regni parte, ſubditi. Inde forte effluxit, qvod Sigvaldius

dius poſt mortem Palnatokii, Jomsburgo ab Haraldo præfectus fuerit. In geſtis itaqve, qvæ ad Haraldum & filium ejus Svenum attinent, deſcribendis, ſcriptores magis relationes variant, qvam diſſentiunt, cum utraqve conſiſtere poſſint; nam qvod alii Haraldum, â filio regno pulſum, inqve exilium actum, alii vita ſimul privatum tradunt, nihil niſi diverſa temporum acta exponunt. Illi qvæ prius intervenerunt, hi extrema, qvidam utraqve confundunt. Sveno Aggonis diſtinctius, qvæ prius evenerunt, recenſet, & inſuper qvæ exilii tempore geſta ſunt. Anonymus autem, ab Henrico Ernſtio illuſtratus, Haraldum, poſt primam ad Slavos fugam, crebris excurſibus regnum Daniæ infeſtaſſe. Wilhelmus Gemeticenſis, filio poſtea reconciliatum memorat, qvod cum Svenone Aggonis apprimè convenit, qvi eum, ab inſana plebe regno pulſum, ad Slavos confugiſſe, ſurrogatumqve in ejus locum Svenum, dum ille exularet, qvin & recenſet, qvid exilii tempore Haraldus geſſerit, nimirum fundaſſe urbem, qvæ Hynnisburg nuncupatur, & opera Palnatokii filium ad Slavos deferendum curaſſe, tentatamqve compoſitionem; & qvin proceſſerit, qvis dubitabit? cum in Slavorum, qvi â partibus patris ſtabant, poteſtatem devenerit, neqve enim â patre lati auxilii, impenſarumve mercedem avida pecuniæ piratarum factio ſperare poterat, niſi in regnum reſtituto. Conditiones autem, cum nemo prodiderit, plane latent.

Annales Flateyenſes, initium regni Sveni annum CMLVIII, exitum vitæ Haraldi CMLXXXV ponunt, ex qvibus abunde conſtat, duo ad minimum, diverſis temporibus, bella inter eos exorta, diverſos habuiſſe exitus, qvorum poſteriorem, Chronica Norvegica Snorrii, Knytlinga ſaga,

Olafi

Olafi Tryggvini Hiſtoria, Adamus Bremenſis, Saxo, & Helmoldus deſcribunt, geſtaqve confundunt. Confirmant hæc bella, tam variis locis geſta, nam præter id, qvod Codex Flat: ad Borgundarholmum expoſuit, item qvod Eiricus Pomeranus in Scania geſtum narrat, Chronica unum intra Iſafiordum memorant; qvo referenda, fuga ad Sialandiam, Saxoni memorata, alterum navale, tertium deniqve ad Helganeſiam, Jutiæ promontorium, Ernſtio interprete, â qvo illuſtratus Anonymus, Haraldum non ſolum regno pulſum, ſed etiam crebris incurſibus, regnum Danorum infeſtaſſe tradit.

Eviciſſe videor, diverſas inter Haraldum Svenumqve controverſias, diverſa bella, diverſis temporibus, diverſis etiam eventibus excitaſſe, adeo confuſè in literas relata, ut qvid prius, qvid poſterius geſtum ſit, vix poſſit explicari, qvæ nos hoc modo commodiſſime digeri poſſe arbitramur. Bellum ad Borgundarholmum, rerum Haraldi ultimum, eiqve exitiale interpretor, qvippe qvod genus lethi, qvo periit Rex, tam accuratè deſcribat, Saxoni conſentaneum, locus etiam, haut procul Julino, confugio haut ineptus. Nec tamen qvibus in locis prius bellatum ſit, expediam, cum hoc Scriptores non diſtingvant. Illud ex allatis teſtimoniis conſtat, utroqve bello ad Slavos fugam directam, & priore qvidem, Svenone teſte, anteqvam Jomsburgum ædificatum eſſet, qvod tunc in præſidium ſui, ut videtur, Haraldus ædificandum curavit. Et qvid obſtat, qvin operâ Palnatokii, qvo ille tunc conſiliario uſus eſt? Nec id relationem Fagrskinnæ infringit, qvæ tradit Haraldum Vindlandiam infeſtaſſe, ſtatuiſſeqve oppidum Jomsborg dictum, deinde conſtitutis ibi præfectis, domum rediiſſe. Nam ante funda-

tum oppidum poterat Vendos bello laceſſiviſſe. Eò qvoq; Sveno collineat, cum ſcribit, Haroldum ad Slaviam profugum commeaſſe, ibiqve pace impetrata, primum urbem fundaſſe. Poſterioris belli cauſam expoſuimus, crimen nempe læſæ Majeſtatis Divinæ, ob abrogatos patrios ritus, inveteratum idolorum cultum, invectaqve nova ſacra, ceremonias ignotas, negatamqve, ut ita dicam, Deorum pluralitatem, tum etiam inſvetum civibus, nec minus ignominioſum, onus volvendi inuſitatæ magnitudinis ſaxi, ſepulchro matris imponendi conſignandiqve. Tunc Palnatochius Jomsburgo â Burisleifo præfectus, Sveno adhæſiſſe, ejusqve partes, bello navali ad Borgundarholmum geſto, ſecutus, Haraldo lethiferi vulneris auctor fuiſſe videtur, ſive eo modo, qvem Hiſtoria Olafi Tryggvini deſcribit, derepente concidit, ſive ex vulnere ſaucius, mortuus an ſemivivus Jomsburgum, abſente tunc Palnatokio, rebusqve Sveni in Dania componendis intento, fuga delatus, â præſidio, forte tanti Regis, rerumqve viciſſitudinis miſerto, receptus eſt. Qvòd ſi in Borgundarholmio telo trajectus, mortuus Jomsburgum devenit, ſvaſore Fiolnere ſuppreſſum verum genus mortis, in eam forte famam tranſiit, qvam ab Adamo Bremenſi deſcriptam, deinceps obtinuit.

CAP. XX.

De anno qvo Haraldus Cærulidens in fata conceſſit.

De fatali Haraldi Gormii anno, adeo Annalium conditores, hiſtoricarumqve relationum conſeqventiæ â ſe invicem diſſident, ut unum certum tibi polliceri

neqveas.

neqveas, de proximo tamen, aut qvi eum ſeqvitur, vix diffiteare. Nos Scriptorum teſtimonia, de anno regni Haraldi initiali, inde teſtificationes, & traditionum conſeqventias, de finali, demum de totius imperii periodo, adducemus, qvam â ſingulis exordiis deducentes, in qvem annum commodiſſimè deſinat, diſpiciemus, retrogradaqve computatione, â finalium præcipuis, confirmabimus. Tandem cum Knuti Danaaſt fratris ejus obitus, cum obitu Gormi, & exordio imperii Haraldi connexus ſit, iſqve filium Haraldum, Gullharaldum deinceps appellatum, moriens reliqverit, qvi ultimo vitæ ſuæ anno ſemiſſem regni â patruo depoſcebat, diſpiciemus, qvinam ætatis gradus ei tunc maximè convenire videatur, ut inde de initio regni Haraldi, probabiliter ſaltem, concludi poſſit.

Teſtimonia de exordio regni.

Annal. Flateyenſes initium regni referunt in annum CMIV, vetuſtiores in CMX. Auctor vitæ Eigilis Skallagrimii, qvæ Eigla inſcribitur, inter monumenta Islandorum haut contemnendæ auctoritatis, ex collatione cum Chronicis Norvegicis inſtituta, ad calculum redacta CMXVIII. Annales chartacei, qvi penes me, CMXL aſſignant. Tot diſſidentibus ſententiis, de exordio regni ejus controvertitur.

Teſtimonia de extremo ejus anno.

Epicedium Roſchildenſe, annum CMLXXX tuetur. Annales Flateyenſes CMLXXXV. ei fatalem notant, vetuſtiores ſilent. Chartacei CMXC allegant. Plures qvoqve anni ex conſeqventiis eruuntur, ex calamitate Sveni, & Chronici Norvegici editione Danica pag. 133, & Olafi Tryg-

gvini Hiſtoria de piratis Jomicis facile colligitur, inter cædem Haraldi & irruptionem illorum in Norvegiam, qvæ anno CMXCIV contigit, XXI annos interfluxiſſe, qvi ab illis ſubtracti, relinqvunt annum cædis Haraldianæ CMLXXIII, qvod tamen eadem Hiſtoria duobus locis infringit; priore pag. 175, ubi convivium Jomſvikingenſe in Dania celebratum tradit, anno proximo, ex qvo Olaus Tryggvinus ſacro fonte ablutus fuerit; id qvod Annales ad annum CMXCII referunt; poſteriore pag. 303 cum conflictum Svoldrenſem, qvi in annum milleſimum incidit, anno ſeptimo regni Sveni connectit. Ex qvo ſine ambagibus cædes Haraldi cum anno CMXCIII convertitur. His addi, imo præfigi, meretur, palmarium argumentum, ab obitu Archiepiſcopi Adaldagi, qvi teſte Adamo Bremenſi Lib. II. Cap. XVIII, IV Cal. Maji anno CMLXXXVIII deceſſit, ſucceſſitqve eodem anno Libentius Major. Noviſſimis autem Adaldagi annis, conjurationem Sveni procerumqve in Haraldum, pugnamqve & ipſum regicidum, ante obitum ejus completum memorat. Cumqve ſingula expoſuiſſet, ſubnectit: Hæc in diebus Adaldagi Pontificis facta comperimur. Et paulo poſt, cum miracula, qvæ mortem ejus ſecuta ſunt, innocentiæ teſtimonia recitaſſet, ſtatim ſubjungit: Interea (inter miracula) ſenex præſul Adaldagus, in ſenecta uberi, migravit ad Dominum IV Cal. Maji anno incarnationis CMXCVIII. Indict. I. Mox perſecutionem in Chriſtianos, principiis Archipræſulatus ſucceſſoris Libentii Majoris adnectit. Inde manifeſtum, Haraldum ante obitum Adaldagi, annumqve prædictum cæſum eſſe, cum mortem ejus in feſtivitatem omnium Sanctorum idem Scriptor referat, qvæ eodem anno contingere neqvivit, qvippe poſt XXVIII Aprilis vivo

 Adal-

Adaldago. Tempus anni, cum Haraldus cæſus eſt, memoriæ Islandorum etiam ſtabiliunt, qvæ Svenum, ſimulatione expeditionis piraticæ, patrem qvoqve, expeditioni accinctum, aggreſſum tradunt. Tales autem ſingulis annis binæ ſolennes erant; verno tempore prior, â ſatione ad fæniſecium, poſterior a meſſe, congeſtisqve in horrea frumentis, pro cujusvis arbitrio producebatur. Idem in Hiſtoria Olafi Tryggvini tenebricoſæ noctes, qvales autumnus producit, hoc bello memoratæ, ſtabiliunt.

Expoſitis authorum teſtimoniis, rationibusqve, qvæ ad exitialem Haraldi vitæ annum inqvirendum faciunt, univerſam imperii periodum excutiemus. Chronici Norvegici editio Danica pag. 120. nonaginta, Adamus Bremenſis annos regni qvinqvaginta numerant. Mevrſius qvoſdam his duos addere tradit. Knytlinga Saga, eos qvidem approbat, ſed procurationem regni vivo patre, triginta annos prius obiiſſe memorat, qvos Annales chartacei ab anno CMX, ad annum CMXC extendunt, Arildus Hvitfeldius, procul dubio veterum aliqvam auctoritatem ſecutus, eam ad annos qvindecim contrahit, inqve annis regni Bremenſi conſentit. Atqve ita univerſus adminiſtrationis circulus in duas ſectas diſpeſcitur, qvarum altera anno ſexageſimo qvinto, altera octogeſimo deſinit. Sic omnia, qvæ de hoc argumento indagare potuimus, expoſuimus. Jam ad eorum examen nos conferemus. Tempus calamitatis Sveni Adrorſæ barbæ, ad duos ſupra viginti extendi, infra Cap. XIX de Sveno monſtrabimus, qvos ſi ab obitu Archiepiſcopi Adaldagi prorſus numeremus, deſinunt in annum MX, qvo tempore ipſe ingentibus calamitatibus Anglos afflixit. Sin retro ab anno CMXCIV, cum florentibus rebus ſuis eos in-

 feſtare

feſtare cœpit, in annum CMLXXII exordium eorum incidit, & per conſeqvens patris ejus exceſſus; qvod qvam abſurdum ſit, nemo non videt, cum Scriptores tam indigenæ, qvam extranei, bellum qvod cum Imperatore Ottone Secundo poſtea geſſerat, & notent & deſcribant. Nos autem dicto cap: demonſtrabimus, totam illam tragædiam poſt mortem patris, ad memoratum annum nullum in vita Sveni locum inventuram, ideoqve confictam eſſe, qvo falſitatis convicto, tollitur omnis controverſia, de hoc, ex conſeqventiis elicito, fatali Haraldi anno, tolliturqve ſimul, Chronici Norvegici Olafiqve Tryggvini Hiſtoriæ delira computatio, qvarum hæc inter parentalia Regis Haraldi, & Comitis Strutharaldi anno CMXCIII celebrata, octodecim, non integros, annos inſerit, juſta autem Regi tertio poſt obitum ejus anno facta perhibet, qvo admiſſo, cædes Regis annum CMLXXIII ſibi vendicabit.

Epicedium, qvod Roſchildæ in hunc uſqve diem extat, omnium certiſſimè monſtrare Pontanus ſtatuit, monſtrat autem annum CMLXXX. Ego haut majorem fidem, utpote poſterioribus ſeculis â Monachis factum, mereri exiſtimo, qvam Epitaphium Benedicti Qvinti, Pontificis Romani, Hamburgi ſepulti, anno CMLVI, qvod tamen falſo obitum ejus in annum DCCCCXLIII refert; aut Sergii Qvarti, Pontificis Romani inſcriptio ſepulchralis, ad XIII Maji, cum tamen diplomata ejus, ad Eccleſias data, teſtentur, utet alia monumenta, teſte Baronio, eum æſtatem præterea vixiſſe, vide Calviſium ad annum CMXII. Huic ſententiæ forſitan Vitichindi Monachi locus, Cap. VIII adductus, adſtipulari videtur, ubi de Haraldo tanqvam mortuo ſcribit, qvod velox fuerit ad audiendum, tardus ad loqvendum. Mortuus

autem

autem eſt Vitichindus, ſub Ottone Secundo, ante annum CMLXXXIII, Hiſtoriam autem ad annum CMLXXVIII contexuiſſe, Radulfus de Diceto Abbreviationibus Chronicorum tradit. Inde concludi poſſet, Haraldum tunc fatis functum fuiſſe. Verum hic Adami Bremenſis auctoritas prævalet, qvi ultimis Adaldagi annis obitum Haraldi connectit, qvi tamen ab anno CMLXXX remotiores ſunt. Ego certè annum, de qvo nobis ſermo, ex Saxonis traditione collectum exiſtimo, qvi cum Svenum ſeptem annos poſt patris mortem exulaſſe tradat, Archiepiſcopo tamen Adaldago adhuc ſuperſtite, reſtitutum monſtrat, dum poſt illius converſionem, Popponem cnm aliis Epiſcopis in Dania inſtitutos perhibet. Adaldagum autem, anno CMLXXXVIII, in fata conceſſiſſe, Adamus Bremenſis & Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium teſtantur. Verum ſi Saxo attentius inſpiciatur, conſtabit, ne octo qvidem annis exilium ejus & calamitates abſolvi, qvæ ſi retrograda calculatione computentur, ne ad octogeſimum qvidem annum, vita patris ejus provehatur, idqve plenius, infra in diſſertatione de Sveno monſtrabimus. Chronico Norvegico notatos XC annos regni, in annos vitæ convertendos exiſtimo, hicqve mendum librarii aut typographi culpa irrepſiſſe; nam ſi eos ab anno CMLXXXVIII Adaldago extremo, retrograda calculatione computaverimus, initium regni anno DCCCXCVIII admoverit, qvo tempore Haraldus adminiſtrando regni capax præſumitur, fuerit viginti annorum, centenario itaqve major cum cæſus eſt, certe tunc inhabilis bello cum filio gerendo, Ea qvoqve ratione Thyræ, matri ejus, nimia ætas adſtruitur, ſiqvidem anno CMXXXV. Gormo ſupervixerat, Knutus enim Dana aſt, multis annis Haraldum, noſtris

ſtris Scriptoribus antevertiſſe traditur. (Mevrſius (neſcio an ſolus) gemellos prodit) decennio illos includimus; ita ut natus fuerit Knutus anno DCCCLXVIII, ſi tunc ſeptendecim annorum fuerit Thyra, nata erit anno DCCCLI, octogenaria major cum Gormus deceſſit, qvæ cum abſurda ſint, facile apparet, memoratos annos regni in annos vitæ convertendos. Anni regni, qvinqvaginta Adamo Bremenſi, & qvinqvaginto duo Mevrſio memorati, ab anno mortis Adaldagi ſubducti, initialem regni relinqvunt CMXXXVIII. & CMXL, qvo tempore Gormus centenarium exceſſit, id vero minus probabile videtur, eum tantiſper ſine vicario ſolum regni munia obiviſſe. His perſpectis, totum adminiſtrationis regniqve tempus, ab his annis, qvibus imperare cæpiſſe, Annalibus & Eiglæ traditur ex diverſis hypotheſibus, Hvitfeldii & Knytlinga Sagæ, computabimus, ſingulas in tres Claſſes dividendas.

Claſſes.

	I.	II.	III.		I.	II.	III.
Tempus procurationis ſecundum Hvitfeldiũ	Annales Flat:	Vetuſt:	Eigla	Secundum Knytlinga Sagam	Annales Flat:	Vetuſt:	Eigla
	904.	910.	918		904.	910.	918
Definit in annum	15.	15.	15		30.	30.	30.
Tempus	919.	925.	933.		934.	940.	948.
regni	50	50	50		50	50	50
Definit in annum	969.	975.	983.		984.	990.	998.

Ex

Ex his perſpicuum eſt, præter prioris ſectæ claſſis tertiæ, & poſterioris, primæ, productos, nullum cum obitu Archiepiſcopi Adaldagi cohærere, anni enim CMLXIX & CMLXXV. remotiores ſunt, CMXC, & CMXCVIII terminum vitæ ejus excedunt, qvem tamen Haraldus non attigit. Supereſt igitur, ut illos duos inter ſe conferamus. Anno tantum differunt, ſed unius aut ulterius ratio hic nulla haberi meretur. De principiis procurationis, unde deducuntur, judicandum eſt Et hic qvidem eadem ratio, qvam nuper attulimus, valet. Si enim Haraldus anno CMIV, patri ætate feſſo, adminiſtrator datus eſt, ad maturam ætatem, tanto oneri parem, provectus præſumitur, vicenarium præſupponam, natus itaqve erit anno DCCCLXXXIV, centenario major cum cæſus eſt. Sed nec pater Gormus, ſi ut ſupponimus, anno DCCCXXXV natus eſt, tunc ſeptuaginta annos implevit, ut ætatis vitio procuratione indigeret. Principium itaqve, qvod Eigla ſuggerit, præferendum ſtatuo, cui duo anni in calculatione Scriptoris, ut fit, forte prætervifi, addi poſſunt, ut loco CMXVIII, CMXX. ſubſtituantur, ita ut illo anno, iſtud munus Haraldus in ſe ſuſciperet, annos viginti aut ſupra natus, editus in lucem anno CM vel qvinqvennio prius. His ſuffragatur Annalium Flateyenſium auctoritas, in anno CMLXXXV Haraldo fatali, nam ſi inde annos regni qvinqvaginta demſeris, mors Gormi, initiumqve regni Haraldi, in annum CMXXXV incidet, ex qvo adminiſtrationis anni qvindecim deſumti, exordium ejus in annum CMXX referunt. Jam ad collationem ætatis Gullharaldi, cum exitiale ſibi poſtulatum, diviſionem nempe regni, â patruo reqviſivit, cum

ſingulis regni Haraldiani â nobis adductis exordiis, progrediar, qvæ certe ex veriſimilitudine metienda eſt; non enim nimis juvenem fuiſſe oportet, cum longo latrocinio ditatus, â ſtupendo auri theſauro, Gullharaldus ſeu Aureus Haraldus cognominatus ſit: nec nimis ætate provectum. Qvis enim credat, omnem ætatis florem, incertæ, plerumqve & fallacis, fortunæ arbitrio commiſiſſe, periculoſiſſimiqve vitæ generis, piraticæ nimirum, incertum lucrum, ampliſſimi imperii, certæ parti, tanto tempore præpoſuiſſe, cujus fructum uberrimum tum demum decerpendum duxerit, cum ſtamina vitæ qvovis momento Lacheſis ruptura videretur. Annus qvo vivis ſublatus eſt, communiter ejus ſeculi ſeptuageſimus qvintus ſtatuitur, ſeptuageſimum primum antea colligebam, nunc vero ſexageſimum ſecundum, rationibus Cap. IX adductis perſvaſus probo. Gormus & Knutus Danaaſt, tantum non ſimul, certe eodem anno ſublati ſunt, qvo Haraldus in totius regni poſſeſſionem ſucceſſit. Jam vero planum eſt, Gullharaldum, ſi non in lucem editum, certe tunc utero matris conceptum fuiſſe. Sed poterat qvidem prius naſci, forte etiam puerilem ætatem exceſſiſſe. Nos ſingulos annos, qvi ei fatales ſtatuuntur, cum ſingulis annis qvi fato Gormi avi, patriſqve ejus Knuti, & exordio imperii Haraldi imputantur, conferemus, inqve qvinqve Claſſes digeſtos, hos ab illis ſubtrahemus, iſtumqve initio regni Haraldi aptiſſimum exiſtimabimus, qvi ætati Gullharaldi, cum portionem regni ſibi (ut forte opinabatur jure repræſentationis, licet ſeptentrionalibus gentibus id temporis ignoto) debitam exigeret, maxime convenit.

Claſſes.

Anni	I.			II.			III.		
Cædis Gull-Har.	962.	971.	975	962.	971.	975	962.	971.	975
Exordii regni H.	904.	904	904	910	910	910	918.	918.	918
Ætatis Gull-Har.	58.	67.	71.	52	61	65	44.	53.	57

	IV.			V.		
	962.	971.	975	962.	971.	975
	940.	940.	940	935.	935.	935
	22.	31.	35.	27.	36.	40

Planum eſt ætatem Gullharaldi, cum regni conſortium poſceret, tribus primis claſſibus non convenire; ſed nec Claſſem qvartam admitti, Haraldi ætas, qvæ in annum CMXC procedit, ſi ad CMXL annos regni, cum ſolus imperaret, qvinqvaginta adjeceris, ut ſupra monſtratum eſt evincit: relinqvitur ergo Claſſis qvinta, ex qva productus a fronte, mihi videtur aptiſſimus.

CAP. XXI.

De Sveno Haraldi filio, ab admorſa vel furcata barba, cognomen conſecuto.

Sic ea, qvæ de Haraldi Cærulidentis geſtis Annales ſuppeditant, in ordinem digeſſimus, jam pauca de filio ejus Sveno diſſerenda. Hunc in domo Fioniæ Principis Palnatckii, dum Rex ad eum diverteret, ex mercenaria fæmina conceptum noſtrorum Scriptorum fide antea retuli; qvos

etiam Arildus Hvitfeldius hac in parte ſeqvi haut dedignatus eſt. Sveni nomen, ab ipſo Palnatokio, ut videtur, impoſitum, natalibus fidem adſtruit, denotat enim puerum, interdum etiam ſervum, magnaq; ratione inditum videtur. Temerarium forte duxerat, de qvoqvam ex Regis progenitoribus, eum nuncupare, incerto, an pro filio eum Rex admittere dignaretur, nec minus ineptum, Regiæ proli ex maternæ familiæ ſordibus, vocabulum futuroqve qvandoqve Regi mutuare. Ad utrumqve igitur incommodum declinandum, Sveni nomen placuit, utriqve ſorti Regiæ & plebejæ juxta idoneum. Nec ſcio, an in veteribus memoriis uſpiam, (Meurſii enim Svenum Langefod non moror) prius occurrat, id qvod conjecturæ anſam præbet, eum extra conjugium, & eodem, qvi hic deſcribitur, ordine, progeneratum eſſe. Hanc qvoqve opinionem, Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis ex parte confirmat, cum Lib. VII. prodit, qvod Svenus valde indignatus, promiſcuam in omnes vindictam meditatus fuerit, comperto ſe ſervum ideo appellari, qvod â Normannis poſt patris mortem captus, â populo ſibi ſubjecto ingenti pretio redemtus fuerit. Id qvod ego interpretor, qvoſdam captivitatem ejus, per cavillationem nominis traducentes, ad ſiniſteriorem ſignificationem alluſiſſe, tanqvam qvæ ſine omine ei, omnium primo, non obtigiſſet. Qvæ vero de educatione ejus, & qvæ inter illum & patrem interceſſerunt, fide Hiſtoriæ Olafi Tryggvini, codici Flat: contentæ, expoſui, ordinemqve monſtravi, in qvem commodiſſime dirigi poſſent, non præſcripſi, certiorem afferentibus etiam ultro gratias acturus. Qvæ de calamitatibus ejus Adamus Bremenſis memorat, Saxo etiam, & ab eo pene omnes, & inter eos de iis

qvæ

qvæ ab Eirico Victorioſo paſſus fuerit, inferius planius explicanda, Auctor Catalogi Regum Daniæ, in Bibliotheca Academiæ Hafnienſis, codice pergameneo reſervati, a nobis in Serie Regum Daniæ Lib. III. Cap. XII. pag. 386. citatus, ſecuti ſunt: domeſtici Annalium Norvegicorum conditores, prorſus ignorant, præter dolum, qvo eum Comes Sigvaldius, Comitis Strut-Haraldi filius, circumvenit, Jomsburgumqve devexit, qva occaſione plura videntur effluxiſſe. Qvibus, ne ab anno qvidem ſeculi iſtius ſeptuageſimo qvarto, nedum ab LXXX, ad annum XCIV, qvo florentiſſimis rebus ſuis, veras, non fictas calamitates, Anglis, & toto deinceps vitæ ſuæ tempore ingeſſit, ſpatium idoneum ſuppetit, ut antea dictum eſt, inferiusqve firmius ſtabilietur, cum Adami Bremenſis verba in uſum illorum, qvi eum ad manus non habent, aliorumqve teſtimonia exſcripſero. E diverſis autem Lib. II. Capp. poſtqvam Cap. XVIII, conſpirationem ſubditorum, Duce Sveno, eventumqve belli & mortem Regis Haraldi, in dies Adaldagi retuliſſet, verumqve obitus ejus annum, nimirum CMLXXXVIII enarraſſet, ſeqventia â Cap. XX ad XXVIII, qvæ ad hanc rem faciunt his verbis exponit. " Libentius, (inqvit, Archiepiſcopus " ſcil. Hamburgenſis) legationem adgentes, ut prædeceſſo- " res ejus ſtudiosè executus eſt, licet dierum obſtaret mali " tia, qvo tempore, cum magnam Chriſtianorum perſecu- " tionem in Dania Svein Rex exercuiſſet, ſupplicibus Ar- " chiepiſcopus legatis, crebrisqve muneribus laborabat, qva- " tenus ferocis Regis animum, manſvetum redderet Chriſtia- " nis, qvibus ille rejectis, in ſua nimirum crudelitate & per- " fidia ſævire non ceſſabat, unde & ultio Divina Regem Deo " rebellem eſt ſubſecuta; nam cum contra Sclavos bellum " ſuſci- "

„ſuſciperet, bis captus, & in Sclavam ductus, toties â Da-
„nis ingenti auri pondere eſt redemptus. Nec tamen ad-
„huc ad Deum reverti voluit, qvem proximo in morte
„patris offendit, & deinde in nece fidelium irritavit, & ira-
„tus furore Dominus, eum in manus inimicorum ejus tra-
„didit, ut diſceret non blaſphemare. Tun potentiſſimus
„Sveonum Rex Hericus, collecto innumerabili, ſicut are-
„na maris, exercitu, Daniam invadit, & occurrit ei Svein,
„â Deo derelictus, fruſtra ſperans in idolis ſuis. Sed cum
„utrinqve bello navali, (ſic enim gens illa confligere ſolet)
„omnes copiæ eſſent Danorum obtritæ, Hericus Rex victor
„Daniam obtinuit. Svein ergo depulſus â regno, dignam
„factis ſuis â Deo Zelote recepit mercedem. Et hæc junior,
„in avo ſuô Svein recitavit contigiſſe, juſto Dei judicio,
„qvoniam illum dereliqvit, qvem pater ejus bonum defen-
ſorem habuit. Capite deinde XXV. hæc ulterius his ver-
„bis pertexit. Poſt vindictam ergo ſcelerum, qvæ in Ec-
„cleſias Dei, & Chriſtianos commiſerat, Svein Rex victus,
„& â ſuis deſertus, qvippe qvem Deus deſeruit, errabundus
„& inops auxilii venit ad Nordmannos, ubi Trucco, tunc
„filius Haqvini regnavit. Is licet paganus eſſet, nulla tamen
„ſuper exulem motus miſericordia, ita infelix ille, & toto
„rejectus orbe, in Angliam transfretavit, fruſtra ſolatium
„qværens ab inimicis. Eo tempore Adalrad filius Egga-
„ris Britannis imperavit. Is non immemor injuriarum,
„qvas Dani ex antiqvo Anglis inflixerant, exulem repulit,
„qvem tandem, miſeratus, infortunii, Rex Scotorum benig-
„nè ſuſcepit, eumqve per bis ſeptem annos, qvibus exula-
„vit, ſecum detinuit, uſqve ad mortem Herici. Hæc par-
„ricidæ avi pericula, Svein Rex nobis attonitus expoſuit.

„Dein-

Deinde ad Hericum reflectit narrationem. Hericus, inqvit, " duo regna obtinuit, Danorum Sveonumqve, & ipſe paga- " nus; & Chriſtianis valde inimicus. "

Hic, poſtqvam inſeruiſſet narrationem, de Poppone Sleſvicenſi Epiſcopo, legato Cæſaris, & Hamburgenſis Epiſcopi, miraculisqve ab eo perpetratis, qvo Hericum ad obſeqvium Chriſti, cum multis millibus perduxerit (qvod tamen ad Haraldi Gormii tempora & converſionem referendum eſt) Cap. XXVIII ad Svenum his verbis redit. He- " ricus (inqvit) Sveonum Rex, in Dania converſus ad Chri- " ſtianitatem, ibi baptizatus eſt, qvâ occaſione prædicato- " res â Dania in Svediam tranſeunntes fiducialiter agebant " in nomine Domini. Dicebat tamen Clariſſimus Svein, " Rex Danorum, Hericum, poſt ſuſceptam Chriſtianitatem, " denuo ad paganiſmum relapſum fuiſſe. Qvod vero cum " Ottone Tertio pugnaverit, & victus ſit, Rex tacuit; ſed ab " aliis audivi. Mortuo poſt hæc Herico, Svein ab exilio re- " greſſus, obtinuit regnum patrum ſuorum, anno depulſio- " nis & peregrinationis ſuæ XIV, accepitqve relictam Heri- " ci uxorem matrem Olaphi, qvæ peperit ei Knut. Sed ni- " hil ei affinitas conjugii profuit, cui Deus iratus erat. Olaph. " autem Rex Sveonum Chiſtianiſſimus, filiam Sclavorum " Eſtrid nomine de Obotritis accepit uxorem, ex qva geni- " tus eſt ei filius Jacobus & filia Ingard, qvam Rex Gerzleff " de Ruſſia duxit in conjugem. Olaph ſane, qvi poſt obitum " patris ſui Herici, regnum ſuper Sveones accepit, cum exer- " citu ſuperveniens, infelicem Svein iterum â regno expulit, " & Daniam obtinuit. Svein autem cognoſcens, qvia Domi- " nus ipſe eſt Deus, rediit in ſemetipſum, & peccata ſua præ " oculis habens, pœnitensqve oravit ad Dominum, qvi ex- "

audi- "

„audiens eum; dedit ei gratiam in conſpectu inimicorum
„ſuorum, reſtituitqve eum Olaph in regnum ſuum, eo qvod
„matrem ſuam haberet uxorem, feceruntqve pactum ad pa-
„cem firmiſſimum, ut Chriſtianitatem in regno ſuo planta-
„tam retinerent, & in exteras nationes effunderent. Hacte-
nus Bremenſis: Auctor autem Hiſtoriæ Archiepiſcoporum
Bremenſium in hoc eodem Libentio, hæc eadem verba, qvæ
de illo ſub initium extant, ex Adamo Bremenſi tranſcripſit.
Cui cum Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis, Chronico-
rum Lib. VII aliqvatenus ſuffragari videatur, par eſt ut ejus
„relationem his qvoqve ſubjiciam. Audivi ſæpenumero
„(inqvit) Anglos, ab Angelica facie, id eſt pulchra, ſive
„qvod in angulo iſtius terræ ſiti ſunt, dictos, ineffabilem mi-
„ſeriam a Sveino Haraldi filio, immiti Danorum Rege, per-
„peſſos eſſe, & ad id coactos, ut qvi prius tributarii erant
„Principis Apoſtolorum, Petri & Sancti patris eorum Gre-
„gorii ſpirituales filii, immundis canibus, impoſitum ſibi
„cenſum, qvotannis ſolverent, & maximam regni ſuimet
„partem, capto ac interempto habitatore, tunc hoſti fidu-
„cialiter inhabitandam, inviti relinqverent; conſentiente
„hoc Domino, & ob caſtigandas qvorundam ſuimet fideli-
„um culpas, hoſtes prædictos ad hoc inſtigante, tantum in-
„ſevit perſeqvutor, qvi nec ſuis parcere unqvam didicit. Il-
„le, in qvam, ſupra memoratus, non rector ſed deſtructor,
„poſt mortem patris ſui a Normannis inſurgentibus captus,
„cum â populo ſibi tunc ſubdito, cum ingenti pretio ſolvê-
„retur, qvia ab occulta peſſimorum ſuſurratione, ſe ob hoc
„ſervum nominari comperiret, qvod ſalubriter in paucis ul-
„ciſci potuit, hoc impatiens communi damno, &, ſi voluiſſet
„ſcire, ſibi maxime nocenti, meditatur vindicare. Poteſta-
„tem

tem namqve ſuam, hoſtibus extraneis tunc relinqvens, ſe-"
curitatem vacatione, pacem bello, regnum exilio, Do-"
minum cæli & terræ Diabolo mutarit, & habitata qvoqve"
vaſtando, ſic ſe ſuorum non emptitium, neqve volentem"
dominum, ſed ſpontaneum, crebro ſe jactavit inimi-"
cum, late, proh dolor, regnantem. Iſte autem, cum"
grandi labore ſui & contemporalium, inter pios impiosq;"
diu converſatus, reſpectu Divino mors multorum, morte"
tarda deprimitur, & fugientibus mox ſociis ibidem ſepe-"
litur. Qvod cum Adèlrad Rex Anglorum, multo tem"
pore ab eodem fugatus pro certo comperiret, gratias agens"
Domino, patriam lætus reviſet, & collectis in unum cun-"
ctis militibus ſuis, corpus inimicum exterminare conatur,"
& ut hoc non fieret, qvædam matrona prius per famili-"
ares ſuos admonita, ſervatum pignus â terra elevans, etſi"
indigena, tamen ad patrias navigio direxerat arctos, id"
eſt ſeptentrionalem plagam.

Saxo qvoqve Lib. X. in enumerandis Sveni calamita tibus operoſus, poſt patris exceſſum, ter ſeum â Sclavis diſcretis vicibus captum, totiesqve redemtum memorat; laceſſitum deinde ab Eirico Victorioſo Sveonum Rege, Belloqve in Scania victum, fugam ad Norvegos direxiſſe, inde ad Anglos, tandem etiam Scotos. Poſt ſeptenne deinde exilium, poſtqvam ab Eirico pulſus erat, illo fato functo, in regnum reſtitutum dum proculcatam prius dogmatis Chriſtiani Majeſtatem reſtituere moliebatur, â Poppone, edito divinitus miraculo, adjutum paganos ritus feliciter abrogaſſe, idqve Archiepiſcopi Adaldagi tempore, qvem eundem Popponem, poſtea Arhuſienſis Eccleſiæ antiſtitem, ordinaſſe perhibet.

Ex his tam manifeſtis antiqvitatis teſtimoniis evidenter conſtat, graves eqvidem fortunæ ictus Svenum eſſe perpeſſum, verum, ſi hæc ad Lydium lapidem examinaverimus, planius ad hucfiet, tantæ tragædiæ vitam ejus, poſt patris mortem capacem non eſſe ad annum CMXCIV. qvo ille jam Albæ gallinæ filius, formidabili claſſe in Angliam transfretans, deinde non deſtitit gentem illam, variis afflictionum generibus per reſiduum vitæ ſuæ, exercere; ante qvem hæc fortunæ ludibria â morte patris Adamus Brem: paucorum annorum circulo comprehendit. Primo perſecutionem Chriſtianorum, crebris Archiepiſcopi Libentii (qvi anno CMLXXXVIII. Adaldago ſuffectus eſt) muneribus, legationibusqve, ſed fruſtra, interpellatam, qvod tempus ad minimum biennium reqvirit, Deinde, captivitatem Slavicam, duobus (Saxoni & Eirico Pomerano ternis) temporibus, bellumqve cum iis geſtum, qvæ ad minimum aliud biennium exhauriunt. Tertio bellum cum Eirico Sveonum Rege, exilium qvatuordecim annorum (biennio debellatum ſupponimus) His ſubjicit exilii tempore, refugium ad Trucconem, (qvi Tryggvius eſt Olafi pater, occiſus â Gunnhildidis, Eirici Blodoxii filiis vulgari computatione anno CMLXIX. noſtra CMLVI. qvem Haconis filium facit, cum fuerit Olafi, & Haraldi Pulchricomi nepos.) Et Adalradum ſeu Ethelredum Angliæ Regem (is anno CMLXXIX. ad ſceptra pervenit) & finito exilio, reſtitutionem in regnum, nuptiaſqve cum Sigride, Eirici Regis vidua. Conflictum deinde cum privigno ſuo, Olafo Sveciæ Rege, iteratum exilium, gratuitam deinde reſtitutionem. Singula tempus reqvirunt, & univerſa forte triennium. In ſummam congeſta viginti duos annos

con

conficiunt. Atqvi poſt annum CMXCIV. nihil horum (præter nuptias cum Sveciæ Regina Sigride) ei obtigit, ſi Anglicis Scriptoribus fides, qvi exinde omnia ejus qvam accuratiſſime produnt. Ubi ergo his, ab initio Archiepiſcopi Libentii, vix ſexenni ſpatio, locus? Saxo, forte has temporis anguſtias prævidens, qvatuordecim annorum exilium (qvod tamen Meurſius in ſeptendecim extendit) in ſeptennium contraxit, præmiſſa tamen triplici captivitate Slavica, inde ſecutas res ſecundiores, in Adaldagi annos refert, ita ut hæc omnia contigerint ante annum CMLXXXVIII. locuſqve eſſet â morte patris, & exilio & initio perſcutionis, cum initio ordinationis Archipræſulis Libentii connexo. Sed obſervandum, nullam perſecutionem moviſſe Svenum, poſtqvam ab exilio rediit, jam præteritorum pænâ in pænitentiam formatum.

Faceſſat igitur, cum decantatiſſimo Beliſarii obulo famoſiſſima huc uſqve, de calamitatibus Sveni conficta tragædia. Qvis enim credat, prófuſum in laudes ſuas, majorumqve ſuorum, Sveonum Regem Olaſum, dum inſtituta, de Septentrionis Regibus, comparatione; in colloqvio cum Hialtio Skeggino, memorante Hiſtoria S. Olaſi, ad prærogativam Sveciæ Regum evincendam, ovbia argumenta, allegaret, dolum fraudemqve Styrbiorninam, qvam patris ſui, ſuamqve propriam, in debellando, fugando, inqve exilium detrudendo gratisqve reſtituendo Sveno, eumqve regno Daniæ, vi bellica bis ſubacto, donando, decus, potentiam, & qvanta hominum fors capit, maximam gloriam, probationis loco aſſumere maluiſſe, ſi hoc ei in Svenum Danoſqve fortuna permiſiſſet? Eqvidem de devicto Sveno, ab Eirico omnes Islandorum ſilent memoriæ, præter ſo-

lum Langfedgatal, qvod hoc ab Adamo Brem. mutuatum videtur: Meurſius duas Scaniæ provincias, Bleikingam & Hallandiam ab eo captas, præſidiisqve munitas tradit, unde Saxonis locus aliqvatenus illuſtratur, qvi Thyram Haraldi matrem, Scaniam (non totam Daniam) Svedica dominatione compreſſam præſtandi tributi onere liberaſſe perhibet; qvod qvamvis extremis Haraldi, aut primis Sveni imperii annis Thyræ minime competat, facile tamen colligitur, Eirico Victorioſo Sveciæ Regi, qvi iſtis temporibus vixr. illas provincias tributarias fuiſſe, illum enim, ob auxilia Styrbiorno lata irritatum, inqve ultionem experrectum, bello eas vindicaſſe credibile eſt.

Ne vero argumentis tantum, qvantumvis ad aſſentiendum neceſſariis, hæc probaſſe velle videar, adducam auctorem Bremenſi ipſo paulo antiqviorem, & qvidem eum, qvi res Sveni omnium optimé novit. Encomiaſtem videlicet eum, qvi Emmam Knuti filii ejus uxorem, Angliæ Reginam, celebravit, qvi hæc de Sveno nunqvam vel protuliſſet, vel ſcripto reliqviſſet, ſi tot eum, tantasqve calamitates perpeſſum noviſſet, cum uberrima ad congerendas ejus laudes ſeges, per has ipſas afflictiones lætiſſimo eventu finitas, ſuppeteret. Verba ejus adſcribam. Regem Dano„rum Sveinum, inqvit, veridica comperi relatione, o„mnium ſui temporis Regum ferme fortunatiſſimum ex„titiſſe, adeó ut (qvod raro contingere ſolet) principiis fe„licibus, ſecundum Deum & ſeculum, multo felicior reſpon„deret exitus. Hic deniqve a nobiliſſimis, qvod primum „eſt inter homines, duxit originem, magnumqve ſibi de„cus ſecundum ſeculum peperit imperii, qvod adminiſtra„bat, regimen. Tantam deinde illi gratiam, divina con-

ceſſit virtus, ut etiam puerulus intimo animo diligeretur" ab omnibus, tantum patri proprio inviſus, nulla hoc promerente puerili culpâ, ſed ſola turbante invidia, qvi" factus juvenis, in amore qvotidie creſcebat populi, unde" magis magisqve invidiá augebatur patri, adeo ut eum â" patriâ, non jam clanculum ſed palam, vellet expellere, Jure-" jurandoqve aſſerens, eum poſt ſe regnaturum non eſſe, un-" de dolens exercitus, relicto patre, hærebat filio & defenſabat" ſedulo. Hujus rei gratia congrediuntur in prælio, in qvo vulne-" ratus fugatuſqve, pater, ad Sclavos fugit, & non multo poſt ibi" obiit. Et Svein ejus ſolium qvieté tenuit. Paucis dein-" de interjectis, Deniqve cum nullo hoſtium incurſu tre-" pidus, pacem in ſecuritate ageret, periculi ſemper, ac ve-" lut inſtantis metuens, in caſtris vivebat, qvod hoſtibus, ſi" adeſſent, nullatenus fortaſſe reſiſteret, nihilqve ſuis, qvæ" bello neceſſaria forent, præparando patiebatur remitti, ſci-" licet ne per otium, ut aſſolet, viriles emollirentur animi." Et paulo poſt. At ne me credat aliqvis, hæc falſa fingen-" do, alicujus amoris gratia compilare, recté animadverten-" ti in ſubſeqventibus patebit, utrum vera dixerim an mi-" nime. Omnibus enim liqvet, procul dubio, qvoniam hu-" manitatis ita ſe habeat conſvetudo, ut plerumqve ex re-" bus proſperé redeuntibus, mentes qvorundam ex æqvo" exagitet cogitationum æſtus, atqve ex nimia in otio licen-" tia aggrediuntur aliqvi, qvod vix cogitare, nedum face-" re audent in adverſitate poſiti, ita etiam prælibatis Re-" gis militibus, cum in compoſitæ pacis diuturnitate cun-" cta eſſent proſpere firma ſui pro benefactis domini freti" ſtabilitaté, eadem ipſi agitanti placuit ſvadere, terram An-" glicam invadendo, ſorte bellica imperii ſui finibus adjicere."

Hucusqve hæc auctoris verba tranſcribere libuit, qvo pateret, feliciſſimum ſemper fuiſſe Svenum, anteqvam in Angliam exercitum tranſportaret; ex eo tempore, geſta ejus Anglicis Scriptoribus ſatis decantata ſunt. Ex una forte aut alia captivitate, cum Julinum deductus eſſet, hanc infortunii Sveni iliadem, contextam arbitror, qvarum alteram Sveno Aggonis, vivo patre, opera Palnatokii promotam, alteram Scriptores Norvegici Islandiqve aſtu Sigvaldi acceleratam referunt. Nec aliud Ditmaro intellectum exiſtimo, qvam hanc poſtremam, cum eum poſt mortem patris â Normannis inſurgentibus, captum & a ſubditis redemtum perhibet; nec exilium aut vacationem alio trahendam, ni forte diuturnam a patria abſentiam, dum Anglos ſubigeret, intellexit. Per Normannos autem qvin piratas Julinenſes interpretatus ſit, nihil obſtat, cum Danorum colonia Julinum fuerit, Principes qvoqve Dani. Qvod ſi vivo patre, diuturnior afflictio eum oppreſſit: id certe ut cætera Islandorum memoriæ ignorant. Cauſas autem & ordinem captivitatis Sveni Jomsburgum deducti, hoc tenore exponunt. Mortuo Palnatokio, cum in ejus locum Sigvaldius ſucceſſiſſet, derepente leges militares ab eo latas, negligentibus remiſſiusqve colere cæpit, ipſe ad altiora adſpirans, filiam Burisleiſi, uxôrem petivit, ni impetraret, diſceſſurum ſe præſidiumqve deducturum minatus. Veritus autem Burisleiſus, toties expertam Danorum vim, qvibus his præſidiis nudatus, ſe reſiſtere poſſe deſperabat, qvamvis affinitatem Sigvaldi aſpernaretur, tamen ne qvid temere hac in parte coſuleret, poſtulata ejus filiæ exponit, qvæ & ipſa conditionem averſata ne tamen regni ſtatum turbaret, certis conditionibus in eam conſentiendum ſvaſit; nimirum

rum ut ante nuptiarum tempus totam Vandaliam univerſo cenſu, Daniæ Regi reddi ſolito, exſolveret, deinde, ut Regem Svenum eó tranſportaret, inqve poteſtatem patris redigeret. Hæc cum Sigvaldio proponerentur, utrumqve intra tertium Jolenſe feſtum ſe expediturum promiſit, proximoqve vere in Daniam tribus navibus trajecit, nactusqve ſtationem prope villam qvandam, ubi tunc Rex convivabatur, gravi morbo ſimulato, Regem per nuncium monet, ut ſe ante obitum accedat; in eo enim ſalutem ejus regniqve verti, ut qvæ afferret probe cognoſcat. Hunc fidem dictis adhibentem, anxiumqve, ne ſubita Sigvaldii mörs, cognitionem præveniret, ideoqve acceſſum feſtinantem mox navire ceptum Jomsburgum ducit, ibiqve, diſſidia inter Reges arbitrio ſuo componit, utriqve prius ſeorſim minatus, niſi ſe judicem deligerent, Sveno, ſe eum Bursleiſo traditurum, Burisleiſo, ſe Svenum in Daniam reducturum. In has itaqve conditiones conſenſum eſt, ut Svenus Daniæ Rex Gunnhildem, Burisleifi filiam, & hic viciſſim ſororem illius Thyram, mutuis conjugiis ſibi jungerent, Gunnhildi in dotem cederet, pars Vandaliæ, Danis bello qvæſita, Thyræ vero, qvæ Styrbiorno prius, vivo Haraldo, nupſiſſet, opulenta prædia â parente in Fionia, Falſtria & Borgundarholmo donata; dotium deniqve permutatione inſtituta, prædia patrimoniumqve Thyræ, per Daniam ſparſum, Gunnhildi Daniæ, pars autem Vandaliæ, â Danis occupata, Thyræ Vandaliæ, Reginis reſtitueretur, egregio ſane temperamento, qvo ſingularum dotes, dotiumqve remunerationes, qvas dotalitiorum nomine exprimunt, ſingulis regni s, ad diſſidiorum occaſiones amputandas, continerentur. Urbem autem Jomsburgum, cum

pro-

provinciis Vandaliæ, qvas, ipſe delegit, compoſitionum fœderumqve arbiter Sigvaldius, ſibi retinuit, Non negaverim duriores conditiones, qvam hic referuntur, adjectas, ſubditis ad redimendum Svenum graves, opibusqve eorum noxias fuiſſe; noſtris tamen Scriptoribus nihil ultra de captivitate ejus conſtat. Ditmarus Epiſcopus Merſeburgenſis Lib. VII. uxorem Sveni Ducis Miſeconis filiam Bogiſlai ſucceſſoris ſororem, fuiſſe tradit, ex qva nati fuerint Haraldus & Knutus Magnus. Qvo certe evertitur, qvod Sigridis Imperioſa Knuti mater fuerit, ſed nec abhorret a vero, cum non ſua ſponte eam duxerit, etiam poſtea expuliſſe Verba auctoris hæc ſunt. De geniminis vipera„rum, id eſt filiis Sveni perſeqvtoris, pauca edifceram, „hos peperit ei Miſecona filia ducis, ſoror Bogislavi ſucceſ„ſoris ejus & nati, qvæ â viro ſuimet diu depulſa, non mi„nimam cum cæteris perpeſſa eſt controverſiam. Confirmat hæc Emmæ Anglorum Reginæ Encomiaſtes, cum tradit Knutum & Haraldum, poſt mortem patris, pariter Sclavoniam odiiſſe, & matrem ſuam, qvæ illuc morabatur reduxiſſe. De anno Sveno fatali ſcriptores inter ſe diſſentiunt, nec Anglici qvidem ſibi conſtant, alii enim in MXII. alii in XIV. mortem ejus referunt. Nec Islandi cum his, nec inter ſe conſentiunt: Alii annum MVI. alii octavum, alii nonum, iiqve plures allegant. Anglorumqve calculum Arildus Hvilſeldius & Pontanus ſecuti videntur, cum tamen deinde Islandorum rationes in vita Knuti Magni amplexi ſint, qvem cum anno MXXXVI. in fata conceſſiſſe, omnium conſenſu probent, tamen Angliæ regno, qvatuor & viginti, Norvegiæ ſeptem annos, præfuiſſe tradunt, qvorum viginti ſeptem, a triginta ſex ſubductis, remanet annus

annus Sveno fatalis nonus ſupra milleſimum. Conſtat ergo ſibi Islandorum traditio, qvæ triennium illum in Dania remanſiſſe tradit, anteqvam in Angliam exercitum transtulit. Nec ab his Emmæ Reginæ Encomiaſtes omnino diſſentit, nam ſtatim poſt mortem Sveni Knutum ad fratrem Haraldum in Daniam profectum tradit. Saxo autem magis illuſtrat, qvi Lib. X. cum Anglos & Norvegos â Knuto Magno primis imperii auſpiciis formidatos, Sclavos autem & Sembos, anteqvam arma in Anglos mota eſſent, ſubjugatos tradit. Atqve hæc de Sveno in præſens dicta ſunto.

Catalogus

SCRIPTORUM IN HOC OPUSCULO allegatorum, ubi notandum, libros aſteriſco notatos, Islandicos eſſe, ut plurimum pergameneos.

Adamus Bremenſis.
Albertus Stadenſis.
* Annales Flateyenſes.
* ——— Vetuſtiores pergamenei.
——— Svetici.
——— Cartacei.
Anonymi Genealogia Regũ Daniæ.
* ——— Series R. D.
Anonymus encomiaſtes Emmæ.
* Arius Polyhiſtor.
Baronius (Cæſar.)
Calovisius (Sethus.)
Chytræus (David.)
Coldingenſis (Joh.)
Crantzius (Albertus.)
Ditmarus Merſeburgenſis.
Dudo (S. Qvintini Decanus.)
Dunelmenſis (Simon.)
* Eigla.
* Eirbyggia.
Ernſtius (Henricus.)
Fabricius.
* Fagur-Skinna.
* Flateyenſis Codex.
Helmoldus.
Hervoriana hiſtoria.
Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium.
Hvitfeldius (Arildus.)
* Knytlingorum Hiſtoria.
* Kringla.
Lambertus Scafnaburgenſis.
* Langfedgatal.

Loc-

Loccenius (Johannes.)
Luithprandus.
Marianus Scotus.
Matthias Weſtmonaſterienſis.
Micrælius (Johannes.)
Munſterus (Sebaſtianus.)
Mutius.
* Oddus Monachus.
* Olafi Tryggvini Hiſtoria.
Ordericus Vitalis.
Pontanus (Joh. Iſaacius.)
Radulfus de Diceto.
Regino.
Saxo Grammaticus.
Siffridus Presbyter
Sigebertus Gemblacenſis.
Stephanius (Steph. Joh.)
Sveno Aggonis.
Theodricus Monachus.
Thomas-Skinna.
Thormodus Torfæus.
Trogillus Arnkeli.
Virgilius (Polydorus.)
Wilhelmus Gemeticenſis.
Wilhelmus Malmesburienſis.
Witichindus Monachus.

INDEX.
Verborum & Rerum Memorabilium.

A:

Aarhúſiæ primum templum ædificatum. pag. 4.
Abotridæ ad Chriſtiana ſacra converſi. 10.
Adamus Bremenſis cum Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium conciliatur. 11. refellitur. 81.
Adaldagus Epiſcopos in Dania ordinat. 44. Qvando mortuus. 53. 116.

Adal-

Adalſteini Angliæ Regis laus. 23. extraneos reges hæredes non potuit ſcribere. 24.
Adminiſtrationis Haraldi computus. 120. ſeq.
Æſa, vid. Saum-Æſa.
Akius & Palner. 85. inter illos exortum diſſidium ibid. Akii cædes. 86. qvando contigerit. 110.
Anglos unde dictos putet Ditmarus Merſeburgenſis. 128.
Annalium de anno Haraldo Cærulidenti fatali mirus diſſenſus. 114. ſeq.
Annonæ in Dania caritas Thyræ prudentiâ mitigatur. 4.
Audur Prædives ſeu Profundè Dives. 83. ſeqq.

B.

Bella inter Haraldum & Svenum plura. 113.
Benedicti V. Epitaphium falſum. 118.
Berſerkorum Sveticorum in Islandia monumentum Herculeum. 84. Berſerkorum indoles. Ibid.
Biörnus Breidvikenſium athleta in Collegium Jomsvikingorum recipitur. 62. Conf. 81. Bello Svetico evadit. 175. Cur in exilium pulſus. 82.
Biörnus de Colle qvando mortuus. 71.
Biörnus Bretskius ſeu Brito. 88.
Bleikingia Eirico Victorioſo tributaria. 132.
Boves in ſomnio viſi annonæ præſagia. 4.
Brimilsker legatus imperatoris ad convertendos Norvegos miſſus. 40. metu Haconis Hladarum Comitis aufugit. 46.
Burisleifi Wandaliæ Regis regni magna pars Jomsvikingis ſubjecta. 64. in ejus poteſtatem Jomsburgum deinde translatum. 65.

C.

Catullorum intra uterum maternum latratus 6. qvid denotaverit. 7.
Chriſtiana Religio in Daniâ ab Unnone prædicata. 11. 12. qvonam Otthonum Imperante ibidem propagata. 28. ſeqq. Diverſa de his antiqvitatum teſtimonia ventilantur. 27. ſeq.
Chriſtianiſmus qvando in Islandia receptus. 82.
Chronologiæ Haraldi Klakii, Gormi, & Synchronorum brevis conſpectus. 22.
Comitatus olim regnum vocabatur & comites Reges. 2.
Comitatus qvot regnum olim conſtituerint vid. Præfat.
Comites duo ad convertendos Norvegos miſſi. 40.

D.

Dagmær Reginæ Margaretæ cognomen. 5.
Dana-Aſt Knuti Gormi filii epitheton. 5.
Danabot, Thyræ cognomen, qvid denotet, ibid.
Danos fame laborantes adjuvat Thyra. 4.
Dani a Styrbiörno infeſtati. 73. eorum de iſtâ re cantilena ibid.
Dani regem ſuum Svenum pretio redimunt. 124. 128.
Danavirkium cur exſtructum pravè indicat Svenus Aggonis. 17. conf. 20. ejus exſtructi genuina cauſa. 37. ejus etymologia. 37. Structura, ſitus & magnitudo. 41. reparatio. 38. Illi Hacon Hladarum Comes præficitur. 4. qvando expugnatum. 36. & qvibus mediis. 42.

Diſcordiæ inter Daniæ Reges & Norvegos vera cauſa. 24.
Diſſidium inter Gormum & filium Haraldum. pag. 13.

E.

Edgardo Angliæ Regi prodigium viſum. 7.
S. Edmundo qvinam ſucceſſerint diſqviritur. 15.
Edvardi Regis annus emortualis. 23.
Eiricus Bonus Jomsburgum obſidet. 66.
Eirici Victorioſi Sveciæ Regis cum Styrbiörno Sveciæ Athleta congreſſus & cædes. 76. ſeq. ejus de Danis victoria. 126. ad Chriſtiana ſacra Converſio. 127. Bleikingia & Hallandia ipſi olim tributariæ. 132.
Endridius Panſa qvô mediô ad Chriſtianiſmum converſus. 92.
Epiſcopi in Dania primum ordinati. 44.
Epicedium Haraldi Cærulidentis qvanti valoris. 115. 118.
Epicediorum qvorumdam falſitas. 116.
Ethelredus Angliæ Rex qvando ad imperium pervenerit. 20. ejus filiam Thyram facit Saxo ibid.
Expeditiones veterum ordinariæ binæ in anno 117.

F.

Fiölner. 85. ſeqq. ejus in occultanda Regis Haraldi cæde prudentia. 96.
Frodius Jutiæ Rex Gormo ſubjectus. 9. Conf. 28. Converſus. 49.
Frodius, Sigfrodius & Sigfridus unum idemqve nomen.

G.

Gislaus Surinus Islandus qvando converſus. 49.

Gnu-

Gnupa Jutiæ Rexa Gormo victus. 8. de ejus nomine variant ſcriptores. 9. 10.

Gormus (Grandævus) Horda Knuti filius. 2. ejus elogium. ibid. Thyram uxorem petit ibid. in Daniam deducit. 4. ejus ſomnia. 3. a Thyrâ exponuntur. 4. ejus in filium Knutum amor. 5. votum ibid. cum diverſis nationibus prælia. 8. in Chriſtianos odium. 9. inter eum & filium Haraldum diffidium. 13. Gormi mors repentina. 14.

Gull-Haraldus. 67. ejus ſtudia piratica ibid. partem regni a patruo poſtulat ibid. repulſam patitur. 68. Comitem Haconem conſulit ibid. ab eo aſtu circumventus occiditur. 70. Unde GullHaraldus dictus. 67. 122. ejus ætatis & anni fatalis computatio. 123.

Gunnhildidæ ſponte ex Norvegia fugiunt. 70.

H.

Hallandia Eirico Victorioſo tributaria. 132.

Hallius Berſerkus. 84.

Haraldus Klakius Holſatiæ Comes. 2. ejus filia Thyra a Gormo adamata. ibid. Prodgia ei viſa. 6. ejus Teſtamentum. 8. ad Chriſtiana ſacra tranſitus. ibid. annus natalis. 22.

Hacon Hladarum Comes Norvegiæ ab Haraldo Cærulidente præfectus. 28. ab obſeqvio deficit ibid. exercitum in Daniam tranſportat, & Haraldo militat. 38. jus in Norvegiæ partem ab eo accepit. 40. 70. Danavirkio ab Haraldo præficitur, 41. Chriſtianam religionem

nem invitus recipit. 45. Gothiam utramqve populatur. 46. Comitem Ottarem profligat. Ibid. Chriſtianam religionem abjicit. Ibid. Holſatiam ſibi ſubigit. 63. Gullharaldum aſtu circumventum occidit. 70. Haconis ditio a Rege Haraldo ſpoliatur. 47.

Haraldus Aureus. Vid. GullHaraldus.

Haraldus Pulchricomus qvando natus. 21.

Haraldi Grafeldi tempôra variè computantur. 53. Ejus cædes qvando contigerit. 69. 54.

Haraldi Cærulidentis Gormi filii ingenium. 5. cum fratre Knuto conflictus. 13. eum Haraldus occidit. ibid. ejus in Angliam jus qvantum, 23. ſeqq. qvando ad regnum pervenerit. 24. conf. 109. Norvegiam imperio ſuo ſubjicit. 28. Victus ab Imperatore ad ſinum Limicum fugit. 44. cum Imperatore pacem init. ibid. ad fidem Chriſtianam convertitur. 45. Norvegos Chriſtianiſmum abjicientes ſpoliat. 47. Islandiam oppugnare ſtatuit. ibid. Wandaliam bello infeſtat. 63. ejus de diviſione regni cum Comite Hacone conſultatio. 68. Cædes a Palnatokio perpetrata. 99. 101. De ea variæ relationes ibid. ſeqq. Haraldus primus Danorum regum in conſecratâ humo ſepultus. 103. qvomodo cives ſuos in ſe concitaverit. 114. qvo anno mortuus. 119. ſeq.

Helganeſenſe prælium. 113.

Henrici Aucupis metu coërcitus Gormus. 9. Henricus Normannos & Abotr.das convertit, 10. Totam Daniam non devicit nec ultra Sleſvicum devenit. 12.

Heidabær, olim Sleſvici nomen. 9.

Hunno, vid. Unno.

Ido-

I.

Idololatria in Norvegia ab Hacone Hladenſi Comite reſtituta. 46.
Imbris inſolitus. 43.
Imperium qvot Comitatibus olim conſtiterit. v. Præf.
Ingebiörgis Comitis Ottaris filia Palneri jungitur. 87. ejus Somnium ibid. ſeqq.
Jom Provincia. 58.
Jomsburgum, Julinum, Jumneta, & Winetha an eadem urbs. 59. & ſeq. diverſa de hujus urbis origine judicia. 60. ſeq. qvo tempore ea ædificata 61. cujus auſpiciis 65. qvando ibid. Jomsburgi deſcri ptio. 64. Jomsburgum in Burisleifi poſſeſſionem transfertur. 65. Palnatakio regenda traditur ibid. & Styrbiörno Veciæ Principe expugnatur. 66. a Magno Bono incenditur ibid. a Valdemaro Primo ſolo æqvata ibid.
Jomſvikingi, ſeu piratæ Jomici. 63.
Jomſvikenſium hiſtoria duplex. 44.
Iſafiördenſe prælium. 101. 103. 113.
Islandia qvando ad Chriſtianiſmum converſa. 83.
Islandiam oppugnare ſtatuit Haraldus. 41. Islandiæ id temporis primates. ibid.
Jura patronatus Imperatoribus bello acqviſita. 32.
Jutia a Gormo in poteſtatem redacta. 8.

K.

Klakius Vid. Haraldus Klakius.
Knutus Dana aſt 5. ejus ingenium & mores ibid. Cædes per ambages parentibus nuntiata. 13. de ea variæ relationes. 13. 15.

L.

Langſedgatal notatur. 48.
Leges Jomſvikingorum. 65. a Palnatokio latæ. 113.
Leikner Berſerkus. 84.
Libentii Majoris Præſulatus initium. 116. ejus ad Svenum Daniæ Regem pro Chriſtianis Supplex Legatio. 125. 130.
ad Limicum fretum prodigia viſa. 6 enodata. 7. Knuti & Haraldi ad idem fretum conflictus. 13.
Ludovici Transmarini cum Haraldo Cærulidente conflictus & clades. 26.

M.

Magnus Bonus Jomsburgum incendit. 66.
Margaretha Daniæ Regina Dagmær vocata. 5
Margaretæ alterius cum Thyrâ collatio ibid.
Marſeya Inſula. 44. ad eam Haraldus fugit. ibid.
Miraculum in deſtruendo Danavirkio editum. 43.
Miraculum a Poppone editum. 32. 44.

N.

Nicolaus Rex Jomsburgum expugnat. 66.
Normannos ad Chriſtianam religionem convertit Henricus Auceps. 10.
Norvegiæ reges hæredes ſcribere non potuit Adalſteinus. 24. Norvegiæ reges Danis jus in Angliam præripere nunqvam tentarunt. ibid. Norvegia Haconis Adalſteini tempore Danis nondum tributaria. 52.

O Isʃandorum Danis in Y ſolet mutari. 59.
Odino ſe devovet Styrbiörnus. 75. Odinus qvalis apparuerit. ibid.
Olafus Sveo unde Skaut-Konungus vocatus. 80. ejus filiæ qvibus in matrimonium datæ. 81.
Olafus Tryggvinus qvando natus 54. ejus de ſuperando Danavirkio prudens conſilium. 42. Is qva ratione Endridium Panſam converterit, 92. Ejus hiſtoria vindicatur. 48.
Ottar, Gautiæ Comes 86. Ejus filia Ingebiörgis Palnero jungitur. 87. Ipſe ab Hacone Hladarum Comite profligatur. 46.
Ottinſund, ſeu Otteſund. 30. 55.
Otto Magnus qvando ad Imperium pervenerit. 20.
Ottonum qvonam Imperante Chriſtiana religio in Dania propagata ſit, diſqviritur 29. 43. ſeq. Primo converſio Daniæ, 56. Secundo Norvegiæ, 57. Tertio religionis progreſſus & augmentum ibid. adſcribitur.
Ottonis primi de eccleſiis Hamburgenſi ſuffragantibus privilegium. 33. Jus in univerſam Daniam ei non competebat ibid. Svenum ex Sacro fonte ſuſcipit, 29. 35. ei nomen ſuum donat, 35. Qvando ad Imperium pervenerit. v. ſupr. Otto Magnus.
Otto Secundus Rufus dictus 37. ei Danavirkii expugnatio adſcribitur. 51.
Ottonis Tertii de Convertenda Daniâ votum 37. Cum Ha-

raldo Cærulidente gemina pugna, 38. Legatio ad Norvegos convertendos. 40. Reconciliatio cum Haraldo. 44.

P:

Palner Akii filius, 85. ſeq. Ottaris Gautiæ Comitis filiam uxorem ducit. 87.

Palnatokius qvando natus. 88. Ej Jomsburgum regendum traditur, 65. ejus cum Olufa, Comitis Stephani filia, nuptiæ 89. Ipſe Gratiâ Regis Haraldi excidit, 94. Svenum adverſus patrem inſtigat ibid. & ſeqq. Haraldum ipſum ſagittâ trajicit. 99.

Piratarum Duces Reges olim vocati. 11.

Popponis Doctrina, 32. miraculum ab eodem editum ibid. & 44. Poppones plures fuere. 57.

Prodigia ad fretum Limicum Comiti Haraldo viſa, 6. ab ipſo explicata. 7. Alia Styrbiörno in Jomsburgi obſidione oblata. 73.

R.

Regina priſco ritu marito mortuo viva contumulata. 83.

Regnum qvot Comitatibus conſtiterit, & imperium qvot regnis. vid. Præfat.

Regni Haraldi Cærulidentis Computatio Chronologica. 120. ſeqq. uſqve 123.

S.

Saumur, vernaculè artificium ſuendi. 93.

Saumæſa Regis Sveni mater ab Haraldo Cærulidente compreſſa. 93. Ejus cum ipſo de filio colloqvium. 94.

Saxo notatur. 20. 23. 27.
Sergii Qvarti Epitaphium inaccuratum. 128.
Sigurdus Craſſus Orcadum Comes. 82.
Silfra-Skallii cum Rege Gormo conflictus. 8.
Sigvaldus qvare Jomsburgo præfectus. 112. ejus in Regem Svenum aſtus, 135. prudens conſilium ſive arbitrium. ibid.
Skautkonungus, Olai Sveonis epitheton unde. 80.
Sleſvicum olim Heidabær dictum. 9.
Somnia Gormi. 3. a Thyra enodata. 4. Somnia Ingebiörgis. 87. ſeq.
Styrbiörnus Sveciæ Princeps, ſeu Sveciæ Athleta, 71 Ejus in Akium Simultas, 72. Educatio apud Ulfum, ibid. Ingenium qvale 73. Jomsburgum expugnat & Daniam claſſe infeſtat, ibid. Ejus cum Svecis bellum, 74. ſeq. Odino ſe pro victoriâ devovet. 75. Eiricum Victorioſum ſuperat. 76. De ejus genere vitâ & geſtis epicriſis. 77. ſeq.
Svenus (vernaculè Sveirn) qvid denotet. 124. Eo nomine qvare Svenus Tiuguskeggus omnium primus inſignitus, ibid.
Svenonis Aggonis de Thyra fabuloſa relatio, 15. ſeq. refellitur. 20. Ejuſdem de geſtis Sveni narratio, 104. ſeq.
Svenus Rex Daniæ naſcitur, 93. ab Imperatore Ottone Primo de ſacro fonte ſuſcipitur & ejus nomine donatur, 29. Tiugu-Skegg a Nordmannis dictus. 29. Ejus in patrem ferocia & iniqva poſtulata. 95. ſeq. Patri ſuccedit, 101. Ejus captivitas tergemina & exilium an vera. 123. ſeqv. Sveni nomen indignatui in ſuos ſævit, 125. ad pænam redit. 127. Archiepiſcop-

ſcopi Libentii ad eum Legatio. 525. 130. In regnum reſtituitur. 128. Ejus corpus ſepulcro erutum in Daniam tranſportatur. 129. Sveni calamitates non poſſunt omnes eſſe veræ. 130. ſeq. Ejus elogium & encomium. 131. De anno illi fatali diſqviritur. 136, ſeq.

T.

Thorbiörnus Craſſus. 82.
Thoroddus Skattkaupande. 82.
Thyra Haraldi Klakii filia (aut potius neptis) a Gormo in matrimonium petitur. 2. Ejus prudens reſponſum. 3. In mitigandâ annona ſolertia. 4. Hinc Danabot dicta eſt. 5. Ejus cum Regina Margareta collatio ibid. in indicanda patri filii cæde calliditas. 14. De Thyra Svenonis Aggonis fabuloſa relatio, 15. ſeq. refutata. 20.
Thyrnia Sigurdi Cervi uxor, 8. qvando nata. 21.
Tokius Nobilis Fionenſis, 85. ejus filii, ibid. de eô Saxonis fabuloſa relatio. 90. ſeq.
Thor Deaſter Styrbiorno apparet. 75.
Trandus de Sula. 71.
Torgnyr Tiundiæ judex. 74. Ejus conſilium Styrbiorno datum. ibid.

U. V.

Valdemarus I. Jomsburgum incendit & ſolo æqvat. 66.
Vandaliæ magna pars Gormo ſubjecta. 8.
Veſetius, Burgundarholmi princeps. 107.
Vikam populatur Comes Hacon. 46.

Unno Archiepiſcopus in Daniæ viciniâ prædicat. 11. a Knuto DanaAſt adjutus. 12.
Urguthriotus Comes in Norvegiam miſſus, 40. Metu Haconis aufugit. 46.
Windlandia (ſeu Wandalia) ab Haraldo infeſtata. 63.
Winetha, vid. Jomsburgum.

Y.

In Y Danorum O Islandorum ſæpe mutatur. 59.